see other copy

UNIVERSITAS CATHOLICA
IN OPPIDO LOVANIENSI.

S. FACULTAS THEOLOGICA.
1882—83.

N° DXXXI.

# DISQUISITIO IN DOCTRINAM S. THOMÆ

# DE VOLUNTATE SALVIFICA ET PRÆDESTINATIONE.

DISQUISITIO IN DOCTRINAM S. THOMÆ

DE

# VOLUNTATE SALVIFICA ET PRÆDESTINATIONE

## DISSERTATIO THEOLOGICA

QUAM CUM SUBJECTIS THESIBUS,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

ET AUSPICE BEATISSIMA VIRGINE MARIA,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

CONSTANTINI FRANC. JOS. PIERAERTS,

SS. D. N. PRÆLATI DOMESTICI,

ECCL. METROP. MECHL. CAN. HON., S. THEOL. DOCTORIS,

ET CONSENSU S. FACULTATIS THEOLOGICÆ,

PRO GRADU DOCTORIS S. THEOLOGIÆ

IN UNIVERSITATE CATHOLICA, IN OPPIDO LOVANIENSI,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDO,
PUBLICE PROPUGNABIT

PAULUS MANNENS, EX MERKELBEEK.
PRESBYTER DIŒCESIS RURÆMUNDENSIS.
S. THEOLOGIÆ LICENTIATUS.

---

Diebus IV, X et XIV mensis Julii, ab hora X ad I,
anno MDCCCLXXXIII.

---

LOVANII
EXCUDEBANT VANLINTHOUT FRATRES,
UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHI.

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO

DOMINO · DOMINO

# JOANNI · AUGUSTINO · PAREDIS

EPISCOPO · RURÆMUNDENSI

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

SOLIO · PONTIFICIO · ASSISTENTI

COMITI · ROMANO · ORDINIS · LEONIS · BATAVI · PRÆFECTO

INSTITUTIONIS · JUVENTUTIS · PROMOTORI · INSIGNI

GREGIS · PASTORI · VIGILANTISSIMO

CLERI · POPULIQUE · PATRI · AMANTISSIMO

IN · PERENNE · GRATI · ANIMI · AC · FILIALIS · AMORIS

TESTIMONIUM.

ILLUSTRISSIMO · DOCTISSIMO

CONSTANTINO · FRANCISCO · JOSEPHO · PIERAERTS

SANCTITATIS · SUÆ · PRÆLATO · DOMESTICO

ECCL. · METROP. · MECHLINIENSIS · CANONICO · HONORARIO

SACRÆ · THEOLOGIÆ · DOCTORI

UNIVERSITATIS · CATHOLICÆ · RECTORI · MAGNIFICO

&

VIRO · EXIMIO · DOCTISSIMO

BERNARDO · JUNGMANN

SACRÆ · THEOLOGIÆ · ET · PHILOSOPHIÆ · DOCTORI

ECCL. · CATHED. · BRUGENSIS · CANONICO · HONORARIO

HISTORIÆ · ECCLESIASTICÆ · ET · PATROLOGIÆ

ANTECESSORI · PERITISSIMO

HANC · SUAM · LUCUBRATIONEM · DEVOTISSIMO · ANIMO

D. D. D.

VENERABUNDUS · AUCTOR

# PRÆFATIO.

Quum SS. D. N. Leo XIII, feliciter regnans, iterum atque iterum enixe commendaverit doctrinam S. Thomæ, ipsumque, toto plaudente orbe catholico, omnium Academiarum patronum renuntiaverit, fieri non potuit, quin de scribenda inaugurali dissertatione cogitanti mihi Angelicus Doctor, præclarum illud Dominicanæ Familiæ decus, occurreret. Quapropter fere sponte eo adductus fui, ut ad promerendum Doctoris S. Theologiæ gradum de aliquo Aquinatis doctrinæ capite dissererem. Cui propensioni ut libentius obsequerer, fecerunt tum reverentia ac studium erga Principem Theologorum, tum quod me rem pergratam præstiturum censerem Magistris meis colendissimis, quibus semper solemne fuit Angelicum illum Ducem sequi.

Re diu matureque perpensa haud inutile nec ingratum fore duxi, disputare quid senserit S. Thomas de prædestinatione ad gloriam seorsim sumptam. Hoc opus, cujus me non latebat quidem haud mediocris difficultas, et quæstionis momentum, et consilium virorum, quibus non nihil debebam observantiæ, suscipiendum persuaserunt.

Fere totus fui in expendendis ipsis S. Thomæ testimoniis, non modo propter dissertationis limites, verum etiam quia in quæstionibus hermeneuticis eo tandem revocanda est omnis disputatio.

Si quæ disserui scientia theologica non omnino indigna inveniuntur, operam me non perdidisse existimabo. Quos vero nævos offendit benevolus lector, mihi, confido, humanissime ignoscet, eosque non desidiæ sed juvenilibus tribuet studiis.

*Auctor.*

# INDEX.

## PARS SECUNDA.

*De doctrina S. Thomæ de prædestinatione gloriæ seorsum sumptæ.*

# INTRODUCTIO.

Doctoris Angelici doctrinam de voluntate Dei salvifica et prædestinatione sanctorum inquisiturus haud inutile fore duco, introductionis instar paucis præmittere ac supremis lineamentis describere tum potissimos errores, qui lapsu temporis circa voluntatem salvificam et prædestinationem exstitere, tum summa doctrinæ capita, quæ Theologi catholici de gravissima hac materia fuse tradunt. Expositis enim hinc quæ omnibus catholicis fixa ac rata sint oportet, inde vero sententiis, quæ salva charitate libere in scholis propugnantur, pronum erit accuratos hujus disputationis circumscribere limites et quid in ea præcipue intendimus clare aperire. Duobus igitur paragraphis hæc complectemur, in primo exponemus quæ voluntatem Dei salutiferam spectant, in altero quæ ad prædestinationem pertinent trademus.

## § 1. *De voluntate Dei salvifica.*

Prænotandum. Licet divina voluntas in se sit simplicissima, imo ipsa Dei essentia, utpote ejus volitio substantialis, atque ideo nulla realis in ea distinctio admitti queat, infinita tamen ipsius perfectio, quæ multis æquipollet actibus, nobis præbet fundamentum et imperfectus noster cognoscendi modus inducit necessitatem distinguendi ratione cum fundamento in re multiplicem in Deo voluntatem. Quapropter

Theologi, de divina voluntate disserentes, eam pro diversa ratione terminorum multiformiter dispescunt, quarum partitionum præcipuas, quæ in doctrina de voluntate salvifica apprime sunt notandæ, breviter præmittere juvabit.

Prima occurrit nobis voluntatis divinæ distinctio, apud Doctores scholasticos trita et celebrata, in voluntatem *beneplaciti* ac voluntatem *signi*. Licet voluntatis beneplaciti varius apud scholasticos identidem sit sensus, in oppositione tamen ad voluntatem signi denotat *omnem proprie dictam internamque Dei voluntatem*, dum hæc improprie tantum ac metaphorice voluntatem Dei designat, « *eo quod ipsum signum voluntatis* (seu externa manifestatio a Deo procedens) *voluntas dicitur* » (S. Thomas, 1, q. 19, a. 11 in corp.), seu ut plenius dicit ibidem ad 2 : « quia ea, quæ *in nobis solent* esse signa volendi, in Deo divinæ voluntates dicuntur ». Cum hac distinctione omnino confundi non debet illa, quam impie ac blaspheme ingessit Calvinus, voluntatem divinam dispescens in *manifestam* et *arcanam* ita ut Deus hac fieri nolit quod prima se velle manifestat. Repugnat enim Deum summe bonum ac infinite veracem aliquo signo manifestare se velle aliquid, quod revera tamen nullatenus vult.

Inter omnes celeberrima ac pro nostra disputatione summi momenti est distinctio voluntatis salutis in *antecedentem* et *consequentem*. Licet aliqui veteres Scholastici videantur hanc distinctionem hoc sensu accepisse, quod voluntas Dei antecedens sit de objecto antecedente objectum voluntatis consequentis, quatenus nempe illa proprie terminatur ad sufficientem omnium per media a Deo destinata ordinationem ad salutem æternam, hæc vero ad ipsam æternam salutem in se, nihilominus communiter utraque ista voluntas intelligitur esse propria ac interna Dei voluntas circa idem objectum, æternam scilicet hominum salutem. Distinguuntur autem in communi hac acceptione voluntas salutis antecedens et voluntas salutis consequens ex diversa

consideratione objecti vel abstracti vel vestiti particularibus circumstantiis seu, uti dici solet, ex diversa divinæ voluntatis relatione ad aliquem terminum, prout nempe illum antecedere vel consequi concipitur. Terminus vero ille, respectu cujus voluntas salutis antecedens vel consequens dicitur, non idem ab omnibus assignatur. Sunt non pauci Theologi, plerique scilicet ex illis qui nomen Thomistarum sortiti sunt, qui duce Alvarezio hunc terminum comparationis dicunt esse *definitam ante omnem prævisionem actuum creaturarum pulchritutidem universi seu manifestationem attributorum nominatim justitiæ Dei.* Juxta hos itaque Theologos salus hominum considerata per se et abstracta ab illis circumstantiis, quæ ei qua parti totius universi adjunguntur, est objectum voluntatis antecedentis, considerata autem cum illis adjunctis est objectum voluntatis consequentis. Nimirum Deus, præcisione facta ab eo adjuncto, quod salus omnium hominum impediret prædefinitam pulchritudinem universi, hac voluntate antecedente omnium hominum vult salutem; considerato autem isto adjuncto, sed ante prævisa quæcunque hominum bona vel mala merita, non omnium sed aliquorum tantum vult salutem.

Alii vero terminum comparationis, respectu cujus voluntas salutis antecedens vel consequens dicitur, assignant *prævisionem usus vel non usus mediorum salutis.* Juxta hanc igitur explicationem Deus in signo rationis priori ad prævisum cujusque finalem statum vel justitiæ vel malitiæ, omnium hominum vult salutem et hæc est voluntas antecedens, in signo autem rationis posteriori ad istam prævisionem, justorum tantum vult salutem, peccatorum vero non vult et hæc est voluntas consequens.

Sequitur demum alia divinæ voluntatis distinctio, præcedenti valde affinis, in *conditionatam* nempe et *absolutam.* Voluntas conditionata ea est cujus impletio ab aliqua hypothesi pendet, absoluta vero quæ ab omni conditione est soluta,

vel quia subsequitur prævisionem impletæ conditionis, vel quia citra omnem conditionem est concepta.

Ex erroribus, qui decursu temporis circa voluntatem salvificam orti sunt, eos solos breviter recensebimus qui ejus amplitudinem coarctarunt. Jam paulo post tempora S. Augustini *Prædestinatiani* eam ad solos electos restringebant, quam hæresim sæculo IX instauravit Godeschalcus Monachus. Eumdem errorem postea recoxerunt *Calviniani*, quorum alii docent Deum etiam ante prævisum peccatum originale, alii post prævisionem originalis culpæ aliquos homines absolute et efficaciter, alios vero nullatenus velle salvare; priores *Supralapsarii* vocantur, posteriores *Infralapsarii* audiunt. Cum his ultimis consentiunt *Janseniani*, statuentes Deum post prævisum protoparentis lapsum eos solos velle salvare qui de facto salvantur.

Quæ contra istos errores tradunt Doctores catholici ad sequentia puncta paucis revocari possunt.

1. Non modo ratum est omnibus Theologis catholicis, sed etiam ex solemni judicio Ecclesiæ damnantis $5^{am}$ propositionem Jansenii fide certum est, Deum etiam præviso peccato originali voluntate antecedente, seria et operosa aliquorum saltem præter prædestinatorum velle salutem.

2. Ex symbolis Constantinopolitano et Athanasiano fide pariter tenendum, vel saltem fidei proximum est, prædictam Dei voluntatem se extendere ad omnes fideles.

3. Certum quoque est apud omnes catholicos Theologos, quin etiam a pluribus merito fidei proximum esse dicitur, eadem voluntate salutifera Dei comprehendi omnes homines rationis jam compotes.

4. Quod spectat demum infantes, sine baptismo ex hac vita decedentes, licet pauci quidam Theologi cum Vasquez censuerint, Deum non serio velle horum infantium salutem, nihilominus communis et pia vel et certa sententia docet, voluntatem Dei salvificam antecedentem, sinceram et opero-

sam etiam ad hos omnes paucorum dierum homines se extendere.

Omnes igitur catholici Theologi in hoc communiter conveniunt, Deum voluntate antecedente et conditionata, seria et operosa omnium omnino hominum æternam velle salutem.

## § 2. *De Prædestinatione sanctorum.*

Prædestinatio generice sumi potest pro omni consilio Dei quo ab æterno disponit ac vult existentiam alicujus operis ad extra. Strictiori tamen sensu usurpatur de præparatione ac dispositione divina eorum, quæ æternam salutem creaturarum rationalium spectant. Usus communis jam diu invaluit apud Theologos, ut prædestinatio *simpliciter* dicta designet tantum æternam *præparationem donorum supernaturalium cum quibus ultimus effectus vitæ æternæ conjungitur*, *et vitæ æternæ ipsius*. Prout autem consideratur in præparatione divina vel tota series donorum supernaturalium a prima gratia efficaci usque ad gloriam, qua ista series completur, vel aliqua tantum pars aut singulare quoddam donum sive gratia v. gr. sive gloria, prædestinatio a Theologis *completa* vel *incompleta* dicitur.

Quæ de prædestinatione a Theologis tradi solent ad ejus existentiam, proprietates, causas et effectus commode revocari possunt. Circa prædestinationis existentiam, proprietates et effectus passim conveniunt Doctores catholici, unde præcipua quæ huc spectant breviter indicasse sufficiet. Omnes itaque uno ore cum Ecclesia catholica fide profitentur, existere prædestinationem eamque ex parte Dei esse certam ac immutabilem, atque adeo Deo certum ac immutabilem esse numerum eorum, quos ad vitam beatam ab æterno destinavit; e contra vero nobis latere numerum prædestinatorum neminemque sine speciali Dei revelatione suam prædestinationem certo cognoscere. Effectus proprii prædestina-

tionis, usu jam communi Theologorum simpliciter et absolute ita vocatæ, generatim sunt omnia dona supernaturalia ad æternam gloriam actu conducentia, et gloria æterna ipsa.

Gravior et multis difficultatibus implicata est quæstio de causis prædestinationis. Nulla quidem dissensio est circa causam efficientem ac finalem, sed tota difficultas est in solvenda quæstione : utrum ex parte prædestinati sit necne aliqua causa moralis seu meritoria suæ prædestinationis ? Ut certa ab incertis et controversis secernamus, primo paucis referemus præcipuos, qui in hac re prodiere errores, hisque opponemus doctrinam catholicam, quam omnes adversus hæreticos concorditer tuentur, postremo breviter exponemus celebrem controversiam de prædestinatione incompleta gloriæ.

Sicut Pelagiani ac Semipelagiani universim pervertebant totam œconomiam supernaturalem gratiæ, ita etiam consequenter circa prædestinationem gravissime errabant. *Pelagiani*, cum omnem gratiam internam ut inutilem vel saltem non necessariam ad vitam æternam consequendam rejicerent, docebant vitam æternam conferri, ideoque et prædestinari, post et propter prævisa merita naturalia. *Semipelagiani* autem, licet ad perficienda opera salutaria necessitatem internæ gratiæ agnoscerent, cum tamen primam gratiam meritis naturalibus adscisci ac perseverantiam in gratia nativis voluntatis viribus tribuendam esse autumarent, docebant prædestinationem ad primam gratiam atque inde prædestinationem completam habere causam meritoriam in nostris operibus naturalibus.

Commemoranda hic venit sententia, quæ videtur fuisse paucorum quorumdam veterum Scholasticorum et quæ, licet judice Suarezio (de Præd. l. 2, c. 6, n. 44) difficile hæretica haberi possit, ad minus falsa omnino et explodenda est. Statuebant nimirum hi Theologi, hominem per quædam bona opera, solis naturæ viribus præstita, se posse *positive*

disponere ad primam gratiam, atque hinc tum prædestinationem incompletam ad primam gratiam, tum prædestinationem completam in quamdam positivam naturalis voluntatis dispositionem posse refundi.

Oppositos et quidem horrendos errores sparserunt hæretici sæculi xvi, qui Prædestinatianorum perversa dogmata innovarunt. Maxime horrenda est doctrina *Supralapsariorum*, qui cum magistro suo Calvino statuunt, Deum ante omnis peccati etiam originalis prævisionem æterno suo et absoluto decreto ex universis hominibus alios ad æternam vitam alios ad æternam damnationem destinasse. Hoc perversum Calvini dogma aliquatenus emollire studuerunt quidam ex ipsius discipulis, qui idcirco *Infralapsariorum* nomen sortiti sunt. Docent nempe hi, semper in eodem luto hæretico hærentes, Deum ex universo genere humano in protoparente lapso, ante prævisos cæteros quoscumque hominum actus, aliis æternam gloriam, aliis æternum interitum absolute decrevisse. Cum ultimis his hæreticis quoad doctrinam memoratam consentiunt Janseniani.

Contra omnes illos errores Doctores catholici cum Ecclesia unanimi suffragio profitentur.

1. Prædestinationem incompletam ad primam gratiam esse independentem a quovis merito ideoque prorsus gratuitam. Atque hinc :

2. Prædestinationem completam ad totam seriem donorum salutarium a prima gratia usque ad gloriam in complexu spectatam, pariter omnino gratuitam esse.

3. Deum neminem nisi post et propter prævisa peccata ad æternum interitum destinare seu positive reprobare.

4. Gloriam æternam adultis dari tamquam cororam ac præmium propter merita supernaturalia.

Ast dum quæritur, utrum etiam prædestinatio gloriæ per se et seorsim sumptæ pro adultis fiat necne ex prævisis meritis supernaturalibus, Doctores catholici in duas præ-

cipue celebres scinduntur sententias, quarum alia statuit eam fieri ante, alia post prævisa merita supernaturalia.

I. Qui primam sententiam propugnant non omnes eam eodem modo explicant. Omissis illis quæ isti Theologi de prædestinatione angelorum ac Christi hominis tradunt, ea dumtaxat breviter enarrabimus, quæ de hominum prædestinatione statuunt.

1. Plures itaque inter primæ sententiæ patronos hominum prædestinationem concipiunt factam ac completam antecedenter ad prævisionem quorumcunque actuum creaturarum etiam ipsius culpæ originalis. Hanc absolute antecedentem prædestinationem explicant, sequentem secundum diversa signa rationis divinorum decretorum statuentes ordinem.

*a)* Deus pro mero beneplacito voluntatis suæ ex universa hominum multitudine eligit omnes et solos cives cœlestis Jerusalem, absolute et efficaciter intendens ipsis æternam dare gloriam. Decretum istud Dei absolutum et antecedens præscientiam quorumcunque actuum creaturarum, simul definit certum ac determinatum gloriæ gradum, quo singuli in cœlesti urbe fulgere debent.

*b)* Determinato numero salvandorum, præstitutoque singulis certo gloriæ gradu, Deus nostro concipiendi modo progreditur ad determinanda media, quibus electi ad præfixum sibi finem certo conducentur. Absolute igitur et efficaciter prædefinit omnes electorum actus bonos omniaque merita salutaria prædestinato gloriæ gradui ad amussim respondentia. Ut electi prædefinita hæc opera in tempore exsequantur, ipsis porro prædestinat gratias efficaces vel ex intrinseca sua natura, ut docent Thomistæ, vel ut substantes infallibili Dei præscientiæ, ut docent qui ex Congruistis prædictam prædestinationem propugnant, cum effectu obtinendo certo conjunctas.

Hisce absolvitur juxta illos Theologos prædestinatio salu-

tis quam vocant *decretum intentivum*. Subsequitur in posteriori signo rationis *decretum*, uti vocant, *exsecutivum*, quod secus ac primum respicit dona supernaturalia eodem ordine, quo in tempore prædestinatis conferuntur. Incipit igitur Deus in statuenda prædestinationis exsecutione a præparandis gratiis bonisque meritis ac tunc demum progreditur ad statuendam collationem gloriæ propter merita supernaturalia prævisa.

Præter hanc prædestinationem, qua antecedenter ad prævisionem quorumcunque actuum creaturarum numerus salvandorum est immutabiliter determinatus, non datur alia; et consequenter, quod isti omnes Theologi ultro profitentur, cæteri omnes non comprehensi in decreto prædestinationis sunt a Deo in eodem signo rationis relicti seu *negative reprobati*, ita ut antecedenter ad usum eorum libertatis metaphysice repugnet ut vel unus ex omnibus his relictis actu salvetur.

2. In explicando prædestinationis decreto aliqui ex defensoribus primæ sententiæ paulo aliter procedunt. Arbitrantur enim hi Theologi prædestinationem hominum factam esse post prævisum peccatum originale, antecedenter vero ad prævisionem quorumcunque aliorum actuum creaturarum. Hinc etiam docent, reprobationem negativam omnium non electorum factam esse in poenam originalis culpæ vel saltem post ejus prævisionem.

II. Patroni secundæ sententiæ contra assertores primæ concorditer docent, adultorum prædestinationem ad gloriam seorsim sumptam factam esse post prævisa merita supernaturalia atque inde nullam etiam mere negativam dari reprobationem antecedentem.

Principium fundamentale hujus sententiæ est æqualitas ordinis prædestinationis et exsecutionis salutis. Omnia dona salutaria eadem ratione et eodem ordine prædestinantur homini a Deo, quo ipsi conferuntur in tempore; ea proinde,

quæ prædestinatis in tempore conferuntur propter merita supernaturalia in propria natura existentia, ipsis etiam non nisi post ac propter eadem merita prævisa prædestinantur. Hinc decreta Dei, respicientia salutem hominum, hoc ordine se excipiunt.

1. Deus antecedenter ad prævisionem hominum meritorum vel demeritorum non habet nisi voluntatem conditionatam licet seriam dandi gloriam.

2. Ex sincera hac voluntate omnibus præparat media vere ac relative sufficientia ad æternam gloriam capessendam. In hac gratiarum præparatione Deus non æqualiter omnibus providet, sed pro sapienti beneplacito voluntatis suæ uni parcius alteri largius sua dona communicat. Primam gratiam omnibus decernit prorsus gratuito, posteriores vero vel gratuito vel propter prævisum bonum opus ex gratia præstitum, prout in tempore conferuntur. Prælucet huic gratiarum præparationi scientia media, qua Deus antecedenter ad absolutam præparationem videt, quid singuli cum singulis gratiis, si darentur, agerent.

3. Iis, quos prævidet Deus cum gratiis paratis fideliter cooperando finaliter perseverantes in bono, præparat æternam gloriam, illis autem, quos prævidet largitati divinæ libere obsistendo in malo decedentes, æternum decernit interitum.

Hisce duabus præcipuis in hac quæstione sententiis addi potest tertia, quæ paucos tantum ex scholasticis Theologis nacta est patronos. Distinguunt hi Theologi duplicem prædestinationem, aliam insignium sanctorum, quos antecedenter ad prævisa eorum bona merita ad gloriam prædestinatos dicunt, aliam cæterorum salvandorum, quam post prævisa merita supernaturalia factam esse arbitrantur (1).

(1) De his inter alios conferri possunt Card. Franzelin, de Deo Uno, sect. V; Jungmann, Tract. de Deo Uno, P. II, cap. 3, art. 2 et sqq.

Exposita, quantum necesse erat, Theologorum doctrina de voluntate salvifica et prædestinatione, ad aperiendum, quid in hac nostra dissertatione præstare intendimus, deveniamus oportet. Scopus itaque noster præcipuus hic est : inquirere sententiam S. Thomæ de prædestinatione ad gloriam seorsim sumptam, utrum scilicet senserit cum illis, qui statuunt antecedentem prædestinationem gloriæ per se et seorsim sumptæ, an vero e contra adstipulatus sit iis, qui eam pro adultis non nisi post prævisa merita supernaturalia factam esse docent. Quia autem cum doctrina de prædestinatione intime nectitur doctrina de voluntate salvifica, imo hæc illius præcipuum constituit fundamentum, ordo rerum postulat, ut, quæ de voluntate salutifera tradit Aquinas, primum inquiramus. Quo præstituto fundamento ad indagandam ipsius sententiam de prædestinatione incompleta ad gloriam tutius progredi poterimus. Hinc dissertatio nostra sponte dividitur in duas partes, quarum prima doctrinam S. Thomæ de voluntate salvifica complectetur, altera ipsius doctrinam de prædestinatione adultorum ad gloriam seorsim sumptam continebit.

# PARS PRIMA.

**Doctrina S. Thomæ de voluntate Dei salvifica.**

## CAPUT I.

S. THOMAS DOCET DEUM, ETIAM SUPPOSITO PECCATO ORIGINALI, VOLUNTATE ANTECEDENTE ET CONDITIONATA, BENEPLACITI ET OPEROSA VELLE OMNIUM HOMINUM SALUTEM.

Quæ hoc capite complectimur in scriptis Angelici Doctoris sunt omnino manifesta ipsique sine ulla controversia ab omnibus attribuuntur; quapropter ea, quantum fieri potest, breviter expediemus. Sufficit legere quæ tradit S. Doctor 1, Dist. 46, q. 1, a. 1, in quo articulo totam suam doctrinam de voluntate Dei salutifera compendiose simul et dilucide exponit. In solutione propositæ ibidem quæstionis : « utrum Deus velit omnes homines salvos fieri » paululum progressus, ait : « Si... in homine tantum natura ipsius consideretur æqualiter bonum est omnem hominem salvari, quia omnes conveniunt in natura humana. *Et cum omne bonum sit volitum a Deo, hoc etiam Deus vult et hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult* secundum Damascenum. *Et hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita*, tam naturalia quam gratuita, sicut potentiæ naturales et præcepta legis et hujusmodi ».

Ex paucis hisce verbis manifestum est, voluntatem Dei salvificam juxta S. Thomam :

1. Esse prorsus *universalem;* constat enim hoc tum ex ipsis verbis : « qua *omnes homines* salvos fieri vult », tum ex eo quod illa tam late patere dicatur quam late patet natura humana, tum demum ex universalitate effectus, qui ex voluntate salvandi profluere dicitur.

2. Esse veram propriamque Dei voluntatem seu *beneplaciti;* versatur enim immediate circa ipsam salutem omnium hominum, quam, utpote aliquod bonum, Deus vere vult « et cum omne bonum sit volitum a Deo, *hoc* (salutem omnium) *etiam Deus vult* », imo non eatenus tantum vult omnium hominum salutem, quatenus omnibus præparat media sufficientia ad eam, sed potius voluntas salvandi omnes præsupponitur in Deo estque causa, ex qua sequuntur ista auxilia.

3. Eam non esse sterilem et otiosam, sed *sinceram et actuosam,* « *hujus* enim *voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita* ».

4. Esse denique *antecedentem* et *conditionatam,* hoc per se jam liquet ex eo, quod se extendat ad omnes homines quin tamen in omnibus impleatur, hocque etiam expresse docet S. Doctor ibidem ad 2 : « *voluntas antecedens potest dici conditionata,* nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem ».

Quisnam autem sit terminus, præ quo apud Angelicum voluntas salvifica dicitur antecedens et quænam conditio, quæ in ea involvitur, in sequenti capite data opera inquiremus.

Eamdem doctrinam sæpius et quidem clarissime aliis etiam in locis expressit S. Doctor. *Universalitatem* enim voluntatis salvificæ docet inter alia de Verit. q. 23, a. 2 in corp., ubi, agens de divinæ voluntatis partitione in antecedentem et consequentem, aperte dicit : « *quia Deus omnes*

*homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle* ». Similiter in I Tim. II, lect. 1, exponens hæc verba Apostoli : « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire », ait : « in Deo *salus omnium hominum* in se considerata habet rationem ut sit *volibilis*. Et Apostolus hic ita loquitur, et sic ejus voluntas est antecedens ». Nec aliter loquitur Angelicus Doctor in Summa Theologica, sed idem prorsus etiam ibi pluries repetit atque inculcat. Sic 1, q. 19, a. 6, ad. 1, post declarationem voluntatis antecedentis et consequentis subdit : « *Deus antecedenter vult omnem hominem salvari* ».

Quod spectat duas alias voluntatis salvificæ proprietates, invenimus eas, præterquam in textu supra allato, alibi quoque multoties et quidem disertissime a S. Doctore expressas. Et primo quidem eam esse voluntatem *propriam* ac *beneplaciti* aperte declarat de Verit. l. c. a. 3 in corp. « Invenitur enim in Deo proprie ratio voluntatis... et sic voluntas de Deo proprie dicitur, *et hæc est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem et consequentem distinguitur* ». Item in I Tim. II, lect. 1, voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes homines, secundum quam ibidem exponit textum Paulinum, ad voluntatem beneplaciti referendam esse expresse testatur.

Aliam voluntatis salutiferæ proprietatem, qua *seria* et *operosa* dicitur, non minus luculenter tradit de Verit. q. 14, a. 11, ad 1 : « hoc enim ad divinam providentiam pertinet, *ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem*, dummodo ex parte ejus non impediatur. » Hæc auxilia ad salutem necessaria procedere ex universali Dei voluntate salvifica declarat expresse C. G. III, 159 : « *Deus... quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare; omnes enim homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire*, ut dicitur I Tim. II, 4. Sed illi soli gratia privantur qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant. » Idipsum docet pariter in Ep. ad

Hebr. XII, lect. 3, ubi ad explicanda verba Apostoli ibidem v. 15: « contemplantes ne quis desit gratiæ Dei », adducit hæc alia ex l. c.: « qui vult omnes homines salvos fieri, » continuo subjungens : « *et ideo gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantum in se est se communicat, sicut nec sol deest oculis cæcis* ».

Restat modo, ut paucis ostendamus, hanc universalem voluntatem salvandi beneplaciti et actuosam ex doctrina S. Thomæ respicere homines in protoparente *jam lapsos*. Hoc autem

1. Jam sufficienter liquet ex textibus allatis. Quando enim S. Doctor simpliciter dicit, Deum velle omnes homines salvos fieri, profecto loquitur de statu naturæ lapsæ, qui solus est realis.

2. Constat ex ipsa declaratione, quam de *antecedente* voluntate salvandi uberrime tradit Doctor noster. Hæc enim ex ipsius doctrina, uti in capite sequenti videbimus, abstrahit tantum ab adjunctis particularibus non vero a communibus; peccatum originale autem est circumstantia communis toti inhærens naturæ humanæ.

3. Postremo hoc plane manifestum est ex constanti Angelici doctrina de universi generis humani liberatione et redemptione per Christum. Sic in Matth. XXVI, explanans verba v. 28: « hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, » ait: « sanguinem Christi fusum et pro multis *et pro omnibus*, quia si consideretur sufficientia, ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum *sed pro totius mundi*, sed, si consideremus efficaciam, effectum non habet nisi in his qui salvantur, *et hoc ex culpa hominum.* » Clarissime hoc idem docet de Malo, q. 5, a. 1, ad 1: « *ne homo frustra et vane factus esset cum peccato originali nascens... proposuit Deus homini remedium, per quod ab hac vanitate liberaretur, scilicet Mediatorem Deum et hominem Jesum*

*Christum.* » Item 3, q. 46, a. 1 ad 3 : « *per passionem suam Christus satisfecit pro peccato humani generis*; *et ita homo per justitiam Christi liberatus est.* »

Ex his omnibus abunde liquet, quod probandum assumpsimus, S. Thomam docere Deum, etiam supposito peccato originali, voluntate antecedente et conditionata, beneplaciti et operosa velle omnium hominum salutem. Quæ doctrina cum sit adeo manifesta et non uno tantum in loco sed multoties et quidem verbis maxime perspicuis a S. Doctore expressa, jam patet, quid judicandum sit de paucis quibusdam textibus, qui doctrinæ hucusque expositæ prima fronte adversari videntur. Nulla sane in eis contineri potest vera ac realis difficultas, sed ad summum apparens tantum, quæ, obvia quadam adhibita distinctione facile diluitur. Nihilominus unum alterumve textum singillatim inspiciemus, ut inde simul occasionem nanciscamur adhuc quædam, ad expositam S. Thomæ doctrinam pertinentia, enarrandi.

In primis contra *universalitatem* voluntatis salvificæ opponi videntur quæ tradit Angelicus Doctor 3, q. 21, a. 4 ad 2 : « Ad secundum dicendum, quod Dominus *non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus qui erant credituri in eum; sed pro his solum qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur.* » Ex his verbis sequens institui posset argumentum : qui dicit Christum non orasse pro omnibus non agnoscit voluntatem salutiferam universalem. Atqui S. Thomas l. c. dicit Christum non orasse pro omnibus, ejusque orationem adstringit ad solos prædestinatos. Ergo S. Thomas non agnoscit voluntatem salvificam universalem. Ita etiam censuere quatuor Doctores Facultatis Theologicæ Duacenæ in censura, data die 22 Augusti anni 1722, dicentes hæc S. Doctoris verba favere doctrinæ Jansenianæ (1).

(1) In ista censura pagg. 112 et 113 ita loquuntur isti Doctores : « Diffiteri non possumus quædam occurrere in Operibus Estii et Sylvii quæ

Resp. Ista S. Thomæ verba nullam facessunt difficultatem si animadvertitur, duplicem posse distingui Christi orationem, unam inefficacem ac conditionatam, quæ respondet voluntati antecedenti et conditionatæ quæque non semper impletur, alteram efficacem et absolutam, quæ procedit ex voluntate consequente et absoluta ac semper consequitur suum effectum. Ex negatione igitur orationis efficacis sequitur quidem negatio voluntatis salvificæ consequentis, minime vero negatio voluntatis antecedentis et conditionatæ, de qua unice quærimus. Jamvero S. Doctorem l. c. excludere tantum pro non prædestinatis orationem efficacem et absolutam, manifestum est ex ipso hoc articulo. Proponit enim ibidem quæstionem : « utrum oratio Christi semper fuerit exaudita, » et in corpore articuli responsurus ad quæsitum, distincta duplici voluntate Christi, conditionata scilicet et voluntate secundum quid, ex qua procedit oratio conditionata et secundum quid, ac voluntate simpliciter seu absoluta, ex qua fluit oratio absoluta, perspicue indicat se loqui de hac ultima pro eaque rectissime resolvit eam semper fuisse exauditam. « Et ideo, inquit, omnis *absoluta* voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta quia fuit Deo conformis ; *et per consequens omnis ejus oratio* (ex tali voluntate fusa) fuit exaudita. » Quando ergo S. Thomas in verbis objectis orationem Christi restringit ad solos prædestinatos, manifeste loquitur de oratione efficaci et absoluta, ac proinde sicut pro non prædestinatis non negat orationem Christi conditionatam, sic nec pro ipsis negat voluntatem Dei salvificam antecedentem et conditionatam.

duriora sint et corrigenda, ne quid pejus dicamus.. Qualia sunt quæ docet (Sylvius) in primam... Item in tertiam partem de oratione Christi pro crucifixoribus, quam nulla distinctione adhibita restringit ad aliquos. *Illi quidem quoad hoc prævivit S. Thomas ;* sed omnes Thomistæ post Constitutiones Pontificias adversus hæresim Jansenianam Magistrum explicant ». Billuart, de Deo, Dist. 7, art. 7, § 4.

Veritas hujus responsi ostenditur etiam ex ipsis verbis secundæ difficultatis, quam ibidem sibi proposuerat Angelicus et ex responso quo illam solvit; utrobique enim agitur de oratione efficaci et absoluta, illic de ea, qua peccatum crucifixoribus reipsa dimitteretur, hic vero de oratione, qua efficitur ut prædestinati vitam æternam de facto consequantur.

Ad probandum autem S. Doctorem non negare conditionatam Christi orationem pro omnibus, sufficiet allegasse quæ scribit in Joan. XVII, lect. 2 : « *Christus quantum est de se pro omnibus oravit... Sed tamen non in omnibus sortitur effectum nisi in sanctis et electis Dei, et hoc propter impedimentum mundanorum.* »

Ex his quoque patet responsio ad additam confirmationem. Ista censura injurie omnino lata merito jam die 18 julii anni 1726 decreto S. Congregationis fuit damnata donec corrigeretur.

Contra secundam partem, in qua stabilivimus universalem Dei voluntatem salvandi esse *propriam* voluntatem *ac beneplaciti*, urgeri posset, quod dicit S. Doctor 1, q. 19, a. 6, ad 1 : voluntas antecedens « *magis dici potest velleitas quam absoluta voluntas,* » Atqui velleitas non est vera ac propria voluntas. Ergo juxta S. Thomam voluntas antecedens non est vera ac propria voluntas.

Resp. Voluntas antecedens a S. Thoma dicitur velleitas non quidem si per se et absolute consideratur ista voluntas, sed dum comparatur cum alia voluntate magis plena et absoluta vel dum spectatur, postquam, supposita jam prævisione frustratæ conditionis, successit voluntas absoluta contraria. Utrumque hunc sensum esse ad mentem S. Doctoris legenti totam responsionem ibidem ad 2 manifestum erit. In primis enim voluntatem antecedentem non opponit voluntati veræ ac propriæ sed efficaci et absolutæ; quando igitur dicit eam magis dici posse velleitatem quam absolu-

tam voluntatem, manifeste loquitur comparate, uti jam ex ipsis verbis objectis liquet, et minime negat eam, si per se spectatur, esse veram ac propriam voluntatem. Imo hoc ipso in loco clare docet, voluntatem antecedentem esse in Deo veram propriamque voluntatem : « unumquodque secundum quod bonum est *sic est volitum a Deo* (en vera voluntas)... Similiter Deus *antecedenter vult omnem hominem salvari.* » Alio sensu juxta S. Thomam voluntas antecedens potest dici velleitas, si nempe consideratur supposita jam prævisione frustratæ conditionis, quæ in ea involvitur, quia tunc, succedente voluntate absoluta contraria, voluntas antecedens transit in meram velleitatem. Hæc interpretatio pariter fundatur in textu S. Doctoris; immediate enim ante verba in objectione posita ait : « Unde potest dici quod judex justus *simpliciter vult homicidam suspendi; sed secundum quid vellet eum vivere, scilicet in quantum est homo.* » Voluntas itaque antecedens, qua justus judex vult omnes vivere ante peccatum, jam supposito peccato est mera velleitas, qua vellet eum vivere si non esset homicida.

Quæcunque ex his duabus admittatur explicatio, clarum est verba opposita neutiquam officere doctrinæ Angelici de vera propriaque voluntate Dei salvandi omnes, superius uberrime expositæ.

Contra tertiam demum partem, quæ erat de voluntate salvifica *actuosa*, urgentur sequentia verba ex 2, 2, q. 2, a. 5 ad 1 : « Ad primum ergo dicendum, quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia reparante; sicut ad diligendum Deum et proximum, et similiter ad credendum articulos fidei. Sed hoc tamen potest cum auxilio gratiæ; *quod quidem auxilium quibuscunque datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati*, ut Augustinus dicit. »

Ex quibus verbis sequens struitur argumentum. Qui negat dari omnibus gratiam sufficientem ad salutem negat universalem voluntatem salvificam *actuosam*. Atqui S. Thomas verbis allatis negat omnibus dari gratiam sufficientem ad fidem et consequenter ad salutem. Ergo S. Thomas negat universalem voluntatem salvificam actuosam.

Resp. S. Doctor hic minime negat, omnibus a Deo dari gratiam remote sufficientem; loquitur enim unice de gratia *proxime* ad fidem sufficienti, ut colligitur tum ex eo quod agat de adjutorio quo homo possit actu credere, quale est tantum proxime sufficiens, tum ex hoc quod loquatur, uti constat ex ipsa objectione quam solvit, de auxilio cui adjungitur prædicatio fidei, quod iterum est proxime sufficiens. Hancque gratiam proxime sufficientem iis solum denegari docet, qui per peccatum istius gratiæ largitioni impedimentum ponunt. Talis vero doctrina nullatenus pugnat cum sincera et actuosa Dei voluntate salvandi omnes homines. Quod autem ultima spectat verba, quibus innuere videtur Angelicus, hanc gratiam proxime sufficientem aliquando non dari propter solum originale peccatum, animadvertatur primo ista verba non esse nimis urgenda. Vult enim simpliciter dicere, fidem homini non esse impossibilem, quia, si abest auxilium sine quo ipsa fides haberi nequit, hoc est ex ipsius hominis culpa, quod exprimit verbis S. Augustini, non ibi accurate examinans, utrum illud ob solum originale peccatum aliquibus negetur. Quid enim de hoc senserit S. Thomas, superius vidimus ab ipso clarissime expressum : « *gratiam Dei nemini deesse* » atque « *illos solos gratia privari qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant* ». Deus igitur omnibus dat gratias saltem remote sufficientes, quibus si fideliter cooperantur, ipsis non deerit in necessariis, sed uberiores quoque ac proxime sufficientes misericorditer largietur. Quam verum sit quod diximus, S. Doctorem scilicet in loco objecto nequaquam voluisse docere, solum

peccatum originale aliquando esse motivum negandi gratiam ad fidem proxime sufficientem, magis claret, si cum eo conferatur alius locus, in quo eamdem prorsus versat quæstionem eamdemque difficultatem sibi solvendam proponit. De Verit. q. 14, a. 11 sub 1 et 2 has duas ponit objectiones: 1. « Si ponamus quod sit necessarium ad salutem quod aliquid explicite credatur sequitur inconveniens. Possibile est enim aliquem nutriri in sylvis vel inter lupos et talis non potest aliquid de fide cognoscere, et sic erit aliquis homo qui de necessitate damnabitur, quod est inconveniens ». 2. « Ad illud quod non est in potestate nostra non tenemur, sed ad hoc quod explicite aliquid credamus indigemus auditu interiori vel exteriori... et audire non est in potestate alicujus, nisi sit qui loquatur ». Hæc est ipsissima difficultas, quam ponit 2, 2, q. 2, a. 5, sub 1.

Audiamus responsum ad istas objectiones: « Ad primum ergo dicendum quod non sequitur inconveniens... *hoc enim ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur.* Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret. » « Ad secundum dicendum, quod quamvis non sit in potestate nostra cognoscere ea quæ sunt fidei ex nobis ipsis, *tamen si nos fecerimus quod in nobis est... Deus non deficiet nobis ab eo quod nobis est necessarium.* » Manifestum est itaque juxta Aquinatem nulli adulto negari gratiam proxime sufficientem ad fidem et consequenter ad salutem, nisi propter ejus peccata personalia.

Ad verba supra in objectione posita insuper non incongrue forsan dicitur, ex mente S. Thomæ negationem possibilitatis proximæ cognoscendi ea quæ sunt fidei esse pœnam

peccati originalis, quatenus per hoc, inducta universali rerum divinarum ignorantia, homines amiserunt istam proximam possibilitatem, quæ non omnibus restituitur, interim tamen omnibus dari gratias saltem remote sufficientes, quibus si fideliter cooperantur, Deus non deerit ipsis in necessariis, quod ultimum hic supponit S. Doctor, utpote alibi a se clarissime traditum.

Quod contra doctrinam de voluntate actuosa opponitur ex QQ. Disp. de Veritate q. 24, a. 15 in corp., ubi legitur : « *in nullo inveniuntur omnes homines convenire nisi in aliquo naturali* » ad rem non pertinet, cum S. Doctor ibi evidenter loquatur de gratia habituali, uti vel obiter laudatum articulum inspicienti constabit.

Mittimus cætera, quæ objici possent, utpote nullius prorsus momenti; cæteroquin doctrina in hoc capite exposita apud Angelicum toties et tam clare invenitur expressa, ut de ipsius mente nullatenus ambigi possit.

Scholion. Quando S. Thomas alicubi negat voluntatem Dei antecedentem salvandi esse voluntatem beneplaciti, hanc vocem non accipit sensu latiori et generico ut supra, sed sensu magis stricto et specifico pro voluntate absoluta et efficaci. Similiter quando istam voluntatem antecedentem dicit absolutam, e. g. in 1 Tim. II, lect. 1, eam non ita vocat in oppositione ad voluntatem conditionatam, sed quia respicit objectum solutum et abstractum a particularibus circumstantiis, uti legenti locum citatum manifestum erit.

## CAPUT II.

### TERMINUS PRÆ QUO VOLONTAS DEI, QUANDO AGITUR DE SALUTE HOMINUM, DICITUR ANTECEDENS ET CONSEQUENS, JUXTA S. THOMAM SUNT ACTUS LIBERI CREATURÆ RATIONALIS.

Postquam vidimus, Doctorem Angelicum clarissime do-

cere Deum voluntate antecedente ac conditionata, beneplaciti et actuosa velle omnium hominum salutem, tractanda venit quæstio summi momenti : quisnam juxta ipsum sit terminus, præ quo in negotio salutis voluntas Dei antecedens vel consequens dicatur. Sunt aliqui Theologi, qui, uti supra vidimus, cum Didaco Alvarez et Gonet putant hunc terminum esse definitam ante omnem prævisionem actuum liberorum creaturarum pulchritudinem universi ac manifestationem justitiæ aliorumque attributorum Dei, et in hac sua explicatione gloriantur patrocinio S. Thomæ. Verum plane manifestum nobis videtur horum Theologorum explicationem adversa fronte pugnare cum ea, quam non uno loco sed multoties et quidem lucidissime tradit Doctor noster. Contra quos itaque affirmamus, et in præsenti capite probare aggredimur, voluntatem Dei a S. Thoma dici antecedentem et consequentem, eo quod nostro concipiendi modo præcedat vel consequatur præscientiam actuum, qui ab hominibus libere ponuntur. Quod ut pro rei momento plenius conficiamus, non tantum expendemus declarationem S. Thomæ, sed insuper examinabimus explicationem traditam a S. Joanne Damasceno, quam Angelicus se sequi expresse profitetur, hancque ipsam illustrabimus aliorum quorumdam Patrum præsertim S. Chrysostomi doctrina, ac tandem in confirmationem adducemus communem Theologorum temporis S. Thomæ voluntatis antecedentis et consequentis intelligentiam. Itaque ut ex ordine procedamus, in paragrapho primo exponemus doctrinam S. Joannis Damasceni eamque cum doctrina aliorum Patrum conferemus, in secundo inspiciemus dilucidam expositionem ipsius Aquinatis, in tertio quædam breviter addemus ex antiquis scholæ Doctoribus, ac tandem in quarto ostendemus, quomodo ex hisce sponte fluat quoddam consectarium gravissimi momenti pro ipsa S. Thomæ doctrina de Prædestinatione.

### § 1. *S. Joannis Damasceni doctrina de voluntate Dei antecedenti et consequenti.*

S. Joannes Damascenus omnium primus usus est ipsis vocabulis : voluntatis antecedentis et consequentis, postea omnium Theologorum ore celebratis. Hinc factum est, ut antiqui scholæ Doctores et nominatim S. Thomas, dum hanc celeberrimam divinæ voluntatis partitionem ex Damasceno desumebant, ejus quoque intelligentiam ex eodem S. Doctore derivarent. Non parvi igitur momenti est, ad veram ac genuinam ipsius Aquinatis deprehendendam sententiam, accurate inquirere, quomodo laudatus S. Pater voluntatem Dei antecedentem et consequentem intellexerit : utrum scilicet juxta ipsum voluntas Dei dicatur antecedens et consequens sine respectu ad liberam hominis voluntatem, vel potius non nisi cum respectu ad hujus libertatis exercitium.

Jamvero hoc alterum nobis videtur manifeste colligi ex iis quæ scribit in præclaro suo opere *de Fide orthod.* II, 29 : « Hoc itidem nosse oportet : *Deum primaria et antecedente voluntate velle omnes salvos esse, et regni sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret condidit, sed quia bonus est, ut bonitatis suæ participes essemus. Peccantes porro puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa voluntas antecedens dicitur et beneplacitum, cujus ipse causa sit ; secunda autem consequens et permissio, ex nostra causa ortum habens ;* eaque duplex : altera dispensatione quadam fit et ad salutem erudit, altera a reprobatione proficiscitur, ad absolutam, ut diximus, poenam pertinens ». Porro in his verbis liberi hominum actus manifeste designantur ut terminus, præ quo voluntas Dei antecedens vel consequens dicitur. Antecedens enim voluntas Damasceno est voluntas tota misericordiæ, ex una Dei bonitate progerminans, qua Deus creaturis suis non nisi bonum vult, consequens vero tota est justitiæ, quæ liberis hominum provocatur actibus quaque Deus creaturis vult non

nisi quod justum est. Hinc Deus antecedenter ad prævisionem meritorum vel demeritorum omnibus hominibus vult supremum bonum seu vitam æternam, quam consequenter tantum iis non vult, quorum finale prævidit peccatum. Ratio horum omnium est : quia talis constitutus est ordo salutis, ut illi soli eam consequantur qui profusioni divinæ bonitatis libere obsequuntur, et e contra illi soli pereant qui Dei largitatem libere spernunt. Hanc rationem assignat idem Damascenus in Dial. cont. Manich. n° 72 præclare disserens: « Ipse (Deus) namque tam esse quam bene esse largitur, bonitatis suæ radios in universa opera sua solis instar expandens. Atque in nostra quidem potestate non est accipere ut simus, *ut vero boni beative simus hoc penes nos est. Quocirca si velimus et cupiamus, bonitatis ipsius participes erimus, ac in sempiterna luce versabimur. Si vero socordia torpescamus, nosque ipsos obcæcantes eum non expetamus, ab ejus fruitione excludemur.* »

In tota igitur hac præclara expositione ne umbra quidem apparet istius voluntatis consequentis, quam Deus juxta aliquos recentiores Theologos ante omnem præscientiam liberorum creaturarum actuum conciperet ex consideratione pulchritudinis universi et manifestationis attributorum Dei.

Nec alicujus momenti est quod ad hunc locum respondet Gonet (1) et post ipsum Billuart (2) : S. Doctorem scilicet hic loqui de voluntate consequenti specialiter sumpta seu de voluntate punitiva. Nam :

(1) Clypeus Theol. Thomist. tom. 1, Tract. 4, Disp. 4, art. 1, § 1 : « Quando D. Damascenus et S. Thomas dicunt quod voluntas consequens ortum habet ex vitio nostro, et supponit præscientiam operum, non loquuntur de voluntate consequente universaliter sumpta... sed *de voluntate consequenti specialiter sumpta seu de voluntate consequenti punitiva.* »

(2) De Deo Diss. 7, art. 5 : « Respondeo : S. Damascenum... loqui de aliqua *particulari voluntate consequente,* scilicet *de voluntate consequente puniendi.* »

1. Certum est, quod et isti Theologi sua responsione concedunt quodque caput rei est, Damascenum ne verbulo quidem meminisse istius voluntatis consequentis, quam tradunt laudati Theologi, nec proinde illam a S. Thoma fuisse approbatam.

Imo 2 : Cum juxta S. Doctorem ex una parte voluntas Dei dicatur antecedens, quia ex solo Deo est unaque ejus bonitate originem ducit, consequens vero, quia ex nostra causa est nostrisque liberis provocatur actibus, et ex altera parte antecedens voluntas salvandi sit prorsus universalis, a qua nemo excluditur, nisi postquam finaliter peccans incurrit in justitiam Dei, videtur evidenter excludi omnis voluntas consequens, quæ plane independens sit a liberis creaturarum actibus.

Quam verum sit quod diximus liquet pariter ex aliis verbis non minus claris, quæ idem S. Pater in citati Dial. n. 79 nobis reliquit. Antequam ad declarationem voluntatis antecedentis et consequentis progreditur, præmittit quomodo Deus liberos hominis actus tam bonos quam malos præsciat quidem non tamen prædefiniat, et quomodo proinde hæc præscientia, nedum qua causa istos actus prævertat, e contra eorum existentiam aliquando futuram præsupponat, non quidem tamquam causam, sed velut conditionem sine qua scientia divina ad illos terminari nequit. Ex hoc autem principio consequenter deducit, Deum illa, quæ in exsecutione a libertate humana aliquo modo pendent, non velle absolute nisi postquam hujus libertatis exercitium prævidit, et sic porro devenit ad dispertiendum voluntatem Dei in antecedentem et consequentem, prout nempe dictam præscientiam actuum liberorum præcedere vel consequi concipitur. « Præscit itaque Deus, inquit l. c., ea quæ sponte ac libere acturi sumus, hoc est quæ in nostra potestate sita sunt, puta virtutem et vitium; ea vero præfinit, quæ in arbitrio nostro minime consistunt. Ac vis quidem Dei præsciens causam ex

nobis nequaquam habet, verum ut quæ facturi sumus præsciat, hoc a nobis proficiscitur. Nisi enim facturi essemus, ne ipse quidem, quod futurum non esset præcognosceret. Porro Dei præscientia certa et inviolabilis est : sed ipsa non est causa, cur omnino fiat id quod futurum est, quin potius, quia hoc vel illud acturi sumus idcirco prænoscit... *Quantumvis volens judicet* (Deus), *non tamen antecedenti voluntate sed consequenti id facit. Itaque voluntas antecedens est illud quod quis a seipso vult, consequens vero id quod eorum quæ fiunt causa proficiscitur. Antecedenti enim Deus ex seipso vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (1), *cum autem peccamus utilitatis nostræ causa vult nos castigari. Ita antecedens Dei voluntas bonitatis ipsius est, consequens vero justitiæ.* »

Vides igitur hic iterum indicari eumdem terminum; est enim voluntas antecedens ea, quæ a sola Dei bonitate procedit nullamque occasionem desumit ex iis quæ a creatura aguntur, consequens vero quæ eorum, quæ a creaturis libere fiunt, causa proficiscitur. Nullum itaque ne minimum quidem indicium istius voluntatis consequentis a libertate creata plane independentis, qua Deus ex consideratione exigentiæ pulchritudinis universi ac manifestationis suorum attributorum, pluribus hominibus non vult bonum vitæ æternæ. Imo hæc a S. Doctore manifeste excluditur; cum enim istius exigentiæ absoluta definitio proficiscatur a solo Deo, nulla habita ratione libertatis creatæ, quod Deus propter hanc antecedenter definitam exigentiam vult profecto ex seipso vult nulla desumpta occasione ex iis quæ fiunt a creaturis, et consequenter talis voluntas ex mente Damasceni foret voluntas antecedens, quippe quæ *ex ipso Deo est* et « *cujus ipse causa est* » non vero consequens, quæ « *ex nostra causa est*, » Porro voluntate antecedenti,

(1) I Tim 11, 5.

cum ex sola Dei bonitate progerminet totaque sit misericordiæ, Deus suis creaturis non vult nisi bonum, ideoque antecedenter intendit ut universum divinaque attributa ex felicitate suæ creaturæ splendescant.

Hisce itaque ex Damasceno expositis indubitanter concludimus, juxta ipsum, terminum præ quo voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, antecedens vel consequens dicitur, esse liberos rationalis creaturæ actus. Quod autem S. Doctor, uti passim quoque alii Patres, voluntatem consequentem speciatim consideret, prout ea est puniens et consequens ad prævisa peccata, minime convincit ipsum non agnovisse voluntatem antecedentem et consequentem etiam præ meritis bonis (contrarium enim ex supra traditis liquet), sed ex duplici ratione facile explicatur. Et prima ratio est : quia ex hac voluntate puniendi manifestius quam ex voluntate consequente salvandi apparet, quomodo voluntas consequens non ex solo Deo sed ex nostra causa est, cum illa non autem hæc aliud omnino ac voluntas antecedens respiciat objectum. Altera vero : quia componere vult bonitatem Dei ejusque voluntatem salvandi omnes cum voluntate puniendi, quæ sola illi repugnare videri posset.

Expositam Damasceni doctrinam, quamvis per se jam perspicuam possumus breviter illustrare aliorum quorumdam Patrum testimoniis, ut inde tum ex una parte confirmetur nostra expositio, tum ex altera parte appareat, quam constans sit apud SS. Patres hæc de voluntate Dei salvifica doctrina. Non quidem eadem apud alios ac penes Damascenum occurrunt vocabula, sed eadem prorsus invenitur doctrina in eorum scriptis uberrime explicata. Ante omnes audiatur S. Joannes Chrysostomus, ex quo Damascenus suam expressit doctrinam, hac de re præclare disserens in Epist. ad Ephes. Hom. I, n° 2. Allatis enim ibidem his

Apostoli (1) verbis : « quemadmodum elegit nos (Deus) in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate, qui prædestinavit nos, » dicit : « Non enim fit (prædestinatio) a laboribus et gestis, sed a caritate : neque a caritate solum, sed etiam a nostra virtute. Nam si a caritate sola, oporteret omnes esse salvos. Si autem rursus a nostra sola virtute, supervacaneus fuisset ejus (Christi) adventus, et quæcunque facta sunt per dispensationem. *Sed neque a sola caritate neque a nostra virtute, sed ex utrisque. Elegit enim nos, inquit, qui autem eligit scit quid eligat.* » Et ibidem paulo inferius, explicans subsequentia Pauli (2) verba : « qui in caritate prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum beneplacitum voluntatis suæ, » pergit dicens : « Secundum autem propositum, inquit, voluntatis suæ, id est, propterea quod valde velit. Hoc est, ut ita dicam, ejus desiderium. *Ubique enim εὐδοκια est voluntas princeps et quæ præcedit : est enim etiam alia voluntas. Ut puta voluntas prima est ut non pereant qui peccarunt : voluntas sccunda est ut qui facti sunt mali pereant. Non enim eos castigat necessitas sed voluntas.* »

Duplex itaque juxta Chrysostomum est in Deo voluntas : una quæ dicitur *prima* et *præcedens*, qua Deus vult ut nullus pereat, qua vehementer vult ac desiderat nostram salutem non quidem absolute, non enim a sola caritate est prædestinatio, nam tunc oporteret omnes esse salvos, sed etiam a nostra virtute, est ergo conditionata et prævertens nostra opera; est et altera quæ dicitur *secunda* (consequens), qua *eligit quos præscit* accedere suæ caritati quaque *vult ut pereant qui mali facti sunt*, quæ proinde consequitur prævisionem liberorum creaturarum actuum.

(1) Epist. ad Ephes. I, 4 et 5.
(2) Ibidem.

Eadem prorsus tradit Theophylactus in Epist. ad Ephes. I,6 : « Ad filiorum adoptionem nos prædestinavit volens vehementerque volens ac desiderans (hoc enim est beneplacitum).. *Voluntas itaque beneplaciti est antecedens voluntas Dei.* Exempli gratia, *prima voluntas Dei est quod nemo pereat : secunda voluntas est, ut impii pereant.* Non enim necessitate coactus punit, sed volens. *Quare beneplacitum est præcedens voluntas Dei* ».

Sed qui fit ut voluntas antecedens, qua Deus tam vehementer vult ac desiderat ne quis pereat, non pro omnibus transeat in voluntatem consequentem et absolutam salutis? Conformiter ad aliorum Patrum ac nominatim Chrysostomi doctrinam respondet Theophylactus : quia non omnes gratiæ vocationis obsequentes se æterna beatitudine dignos reddunt. Ait enim in Matth. XXII, 14 : « Multos enim vel potius omnes vocat Deus; pauci vero electi. Pauci enim qui salvantur, et *qui digni sunt ut eligantur a Deo; ita ut Dei quidem sit vocare, electos autem fieri vel non, nostrum est* ». Nulla ergo in Deo voluntas consequens et absoluta salvandi vel non salvandi, nisi postquam prævidit, quinam cum vocationis gratia se divinæ electionis dignos reddunt, vel gratiæ profusioni obnitentes se tanto bono libere fraudant.

Duplicis similiter voluntatis Dei meminit Basilius : unius, quæ est prima propriaque Dei et qua omnibus vult salutem; alterius quæ non est propria ipsius, sed quæ provocata a liberis creaturarum actibus jam vult ea, quæ prima propriaque voluntas Dei non vult. « Poena, inquit Hom. in Ps. 29, n° 4, secundum justum Dei judicium : vita vero in voluntate ejus. Quid ergo dicit? quod Deus vult, hoc esse : *ut vitæ ejus sint participes omnes.* Mala autem non ejus voluntate fiunt, *sed merito eorum, qui peccaverunt, inferuntur.* Vitam igitur cuique Deus propria voluntate tribuit, iram vero sibi quisque congerit in die iræ et revelationis et justi judicii Dei ».

Præclare duas in Deo dispescit voluntates Anselmus

Laudunensis in suo (1) commentario in Matth, VI, 10 : alteram *misericordiæ* eamque universalem, qua Deus vult ut omnes homines salvi fiant, cui resisti potest ac cujus proinde impletio a libertate hominum pendet; alteram *justitiæ* quæ, supposito jam libertatis creatæ exercitio, est de ipsis effectibus, ac diversa pro vario libertatis usu. « *Duæ sunt voluntates in Deo*, ait l. c., *una misericordiæ,* quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, *qua omnes homines vult salvos fieri* (2), *quod tamen in libera voluntate eorum positum est. Est alia, quæ est de effectibus rerum, de qua dicitur : omnia quæcumque voluit fecit* (3); *huic nemo potest resistere, de qua dicitur* (4) *voluntati ejus quis resistet?* hæc providentiæ concordat semper altera non semper. Si enim velit per misericordiam de aliquo pravo, quod sit justus et conferat ei gratiam suam, et tamen ille per liberum arbitrium contradicat, hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia, quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen scit non consensurum. Quæ autem de effectibus est (consequens) *alia est permittens, alia approbans.* Permittens est, quod efficiat malum, quandocunque vult. Approbans autem est, quod faciat bonum, quandocunque vult, *et utraque est ex justitia.* Itaque homines resistunt voluntati misericordiæ et non resistunt voluntati justitiæ ».

Ante hos omnes jam scribebat Tertullianus contr. Marc. II, 11 : « *Bonitas Dei prior secundum naturam, severitas posterior secundum causam. Illa ingenita, hæc accidens; illa propria, hæc accommodata; illa edita, hæc adhibita... Alteram sibi,*

(1) Nisi alius sit auctor istorum commentariorum in Matthæum. Advertit enim Passaglia Comment. Theolog. Pars III, XXVIII, pag. 47 in nota (1) : « Censet... Raynandus opp. T. XII, pag. 90 verum horum commentariorum auctorem esse Petrum Babionem anglum. »

(2) I Tim. II, 4.

(3) Ps. CXIII, 3.

(4) Epist. ad Rom. IX, 19.

*alteram rei Deus præstitit* ». Et de Orat. IV perbelle dicit : « *Summa est voluntatis ejus salus eorum quos adoptavit... Nihil enim mali est in Dei voluntate etiamsi quid pro meritis cujusque irrogatur* ».

Plene tandem concinit Patrum ultimus S. Bernardus : « *quod miseretur* (Deus), ait de Nativ. Domini Serm. V, n° 3, *proprium illi est. Ex se enim sumit materiam et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod judicat et condemnat, nos eum quodammodo cogimus...* recte igitur non pater judiciorum vel ultionum dicitur sed pater misericordiarum, non modo quod pater videatur misereri potius quam indignari ; *sed eo magis, quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, judicandi vel ulciscendi magis ex nostro* ». Misericordia, quam Deus ex seipso promit, communis est omnibus et nemo illa frustratur, nisi qui eam libere spernit : « *in communi*, inquit in Serm. I, de Purific. B. Mariæ, n° 2, *posita est* (misericordia) *offertur omnibus, et nemo illius expers nisi qui renuit* ». Postremo in Sem. LV in Cant., sequentia explanans verba : « Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum », præclare scribit : « Oportuit profecto cum hinnulo etiam de caprea similitudinem dari, quatenus et per illum *desiderium salvantis* et per hanc *eligentis exprimeretur judicium.* Christus nempe justus et misericors, salvator et judex ; *et quia amat, vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire* (1); *et quia judicat, novit qui sunt ejus, et ipse scit quos elegit a principio* » (2).

Paucis hisce verbis Doctor mellifluus antecedentium Patrum doctrinam quasi compendio pulcherrime contraxit : duplex nempe est ordo salutis et consequenter duplex

(1) I Tim. II, 4.

(2) Qui plura testimonia Patrum cupit adire potest Passaglia, qui in præclaro supra citato opere Patrum et antiquorum scriptorum hac de re testimonia summa cum cura collegit.

voluntas, altera misericordiæ ex ipsis Dei præcordiis sponte oboriens, quæ idcirco prorsus universalis est ac præcedens nostram libertatem; altera justitiæ, qua Deus cuique rependit pro merito quæque ideo non succedit, nisi provocata a creatæ libertatis actibus. Videmus itaque magnos illos traditionis testes ac Patres fidei per diversa sæcula sibi succedentes harmonice conspirare in eamdem doctrinam. Nullum apud eos comparet vestigium istius voluntatem salvificam antecedentem ac consequentem explicandi rationis, quam aliqui Theologi inde a sæc. XVI adoptarunt; constanter enim penes ipsos voluntas, quæ a Græcis prima et antecedens, a Latinis vero voluntas misericordiæ dicitur, quaque Deus omnium vult salutem, ex una Dei bonitate progerminat ac nostra prævertit opera; voluntas autem, quæ apud Græcos secunda ac consequens, apud Latinos voluntas justitiæ audit, non ex solo Deo est, sed nostris liberis provocatur actibus.

Ex unanimi hoc Patrum concentu novo quodam veritatis splendore nitet supra a nobis tradita Damasceni expositio, et stat proinde firma ac indubia conclusio : terminum, præ quo voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, antecedens vel consequens dicitur, esse liberos creaturarum actus.

Explicationem autem, quam utriusque voluntatis tradit Damascenus, expresse approbat ac sequitur S. Thomas; ad eam enim appellat omnibus fere in locis in sequenti paragrapho citandis. Sufficiet hic adducere verba, quæ in QQ. Disp. de Veritate, q. 23, a. 2 in corp. lucidissimæ suæ voluntatis antecedentis et consequentis declarationi præmittit : «Voluntas divina per antecedentem et consequentem convenienter distinguitur. *Cujus distinctionis intellectus ex verbis Damasceni est assumendus, qui hanc distinctionem introduxit;* dicit enim in secundo libro, quod voluntas *antecedens est acceptio Dei ex ipso existens,* sed voluntas *consequens est concessio ex nostra causa* ». Hisce verbis Angelicus Doctor tum expresse approbat et se sequi profitetur explicationem

Damasceni, tum paucis eam contrahendo simul clare indicat, ex mente S. Patris voluntatem Dei dici antecedentem et consequentem præ nostris liberis actibus. Hoc unum jam sufficeret, ut certissime concludamus juxta Aquinatem terminum, præ quo voluntas salvifica in antecedentem et consequentem distinguitur, esse prævisionem liberorum actuum creaturæ. Nihilominus veritas hujus propositionis magis elucebit ex accurata consideratione explicationis, quam utriusque voluntatis uberrime suppeditat ipse S. Thomas, et quæ tam liquida ac manifesta est, ut vix clarioribus verbis suum sensum exprimere potuisset.

### § 2. *Expenditur explicatio, quam voluntatis salvificæ antecedentis et consequentis tradit ipse S. Thomas.*

Principium, quo in sua utriusque voluntatis explicatione nititur S. Thomas, est sequens : unumquodque est volitum a Deo secundum quod bonum est. Præstituto hoc principio sic argumentatur S. Doctor : si considerantur homines per se, secundum naturam scilicet humanam et absque particularibus circumstantiis ac personalibus conditionibus, salus omnium hominum est aliquod bonum, quia omnes a Deo ad beatitudinem facti et per Christum reparati sunt. Salus ergo omnium hominum tali modo considerata est volita a Deo, et hæc est ejus voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult. Si vero considerantur homines cum suis particularibus circumstantiis et personalibus conditionibus, non est bonum quod omnes salventur. Bonum quidem est eos salvari, qui cum gratia Dei suæ saluti adlaborant et sic per bona opera ea capessenda se dignos reddunt ; eos autem, qui peccando se cœlesti gloria indignos efficiunt, non est bonum salvari, quia repugnat ordini divinæ sapientiæ ac justitiæ, qui non sinit ad salutem pervenire peccatores.

Illorum ergo salutem Deus vult quia bonum est, horum vero non vult quia bonum non est, et hæc est ejus voluntas consequens quæ supponit præscientiam operum. In simplici hoc discursu manifeste terminus, præ quo voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, in antecedentem et consequentem distinguitur, non est definita ante omnem præscientiam actuum liberorum pulchritudo universi ac manifestatio attributorum Dei, sed contra prævisum creatæ libertatis exercitium.

Hanc suam doctrinam Angelicus Doctor in primis dilucide exponit in 1, Dist. 46, q. 1, a. 1, quem præclarum articulum integrum hic referimus, quia in illo S. Doctor tum ex professo tractat nostram quæstionem, tum ita plane ac manifeste aperit suam sententiam, ut de ipsius mente dubitandi jam nullus locus relinquatur. Ad propositam itaque ibidem quæstionem : « *utrum Deus velit omnes homines salvos fieri* », in corpore articuli responsurus, ait : « Dicendum secundum Damascenum quod voluntas est duplex scilicet *antecedens et consequens*, et hoc contingit non ex aliqua diversitate voluntatis divinæ, *sed propter diversas conditiones ipsius voliti.* Potest enim in unoquoque homine considerari *natura ejus et aliæ circumstantiæ ipsius, ut quod est volens et præparans se ad salutem suam, vel etiam repugnans et contrarie agens.* Si ergo in homine tantum natura ipsius consideretur, æqualiter bonum est omnem hominem salvari, quia omnes conveniunt in natura humana. Et cum omne bonum sit volitum a Deo hoc etiam Deus vult, et hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult secundum Damascenum. Et hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita, sicut potentiæ naturales et præcepta legis, et hujusmodi. *Considerotis autem omnibus circumstantiis personæ*, sic non invenitur de omnibus bonum esse quod salventur; *bonum enim est eum, qui se*

*præparat et consentit, salvari per largitatem gratiæ divinæ : nolentem vero et resistentem non est bonum salvari, quia injustum est.* Et quia hoc modo se habet aliquid ad hoc, quod sit volitum a Deo, sicut se habet ad hoc, quod sit bonum, *ideo istum hominem sub istis conditionibus consideratum non vult Deus salvari, sed tantum istum, qui est volens et consentiens, et hoc dicitur voluntas consequens eo quod præsupponit præscientiam operum* non tamquam causam voluntatis (actus divini in se), *sed quasi rationem voliti,* ut supra dictum est. »

Et ibidem ad 5 idem prorsus docet scribens : « Ad quintum dicendum, *quod istæ conditiones*, *quibus homo efficitur deordinatus a consecutione finis, sub quibus existentem Deus eum salvum esse non vult, sunt ex ipso homine*, et ideo totum, quod sequitur sibi imputatur in culpam. »

Hæc sane sunt perspicua, et si his non docet S. Thomas terminum, præ quo voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, antecedens vel consequens dicitur, esse liberos actus in eis qui eorum sunt capaces, fatendum est nutare omnes regulas hermeneuticas, imo ipsam fallere evidentiam. Et re quidem vera juxta Angelicum voluntas Dei in antecedentem et consequentem distinguitur propter diversas conditiones voliti, prout nempe consideratur objectum vel per se et absolute, vel suis vestitum circumstantiis. Quænam autem sunt istæ circumstantiæ? En cardo nostræ controversiæ. Suntne homini extrinsecæ ab ejusque libertate minime pendentes, puta determinata ante omnem præscientiam liberorum actuum pulchritudo universi ac manifestatio attributorum Dei? Minime gentium; hoc enim toto cœlo abludit a liquidissima explicatione S. Doctoris. Sunt juxta ipsum circumstantiæ et conditiones particulares et personales, homini internæ ac pendentes ab ejus libertate, « *sunt enim ex ipso homine,* » uno verbo sunt ejus bona vel

mala opera, atque hinc voluntas Dei « *vocatur consequens eo quod præsupponit præscientiam operum.* » Non dubitamus igitur asserere Aquinatem in præsenti articulo non modo docere sententiam, quam ipsi tribuimus, sed etiam eam exprimere verbis quibus non potest clarioribus.

Cum hoc loco utiliter conferentur, quæ scribit idem S. Doctor in 1, Dist. 47, q. 1, a. 1 in corp., ubi ad hanc quæstionem : « utrum voluntas divina semper efficaciter impleatur » respondens, distinguit voluntatem antecedentem quæ non semper impletur et consequentem quæ semper consequitur effectum, simulque eamdem omnino nec minus perspicuam utriusque voluntatis tradit explicationem. « Est e contrario, ait, de voluntate et cognitione speculativa, cognitio enim speculativa perficitur in abstractione a singularibus; sed *voluntas, et quidquid aliud est ordinatum ad opus, perficitur in particulari, circa quod est operatio.* Illud ergo est *simpliciter et perfecte volitum, quod subjacet voluntati secundum omnes particulares conditiones circumstantes ipsum particulare, et hoc pertinet ad voluntatem consequentem, quæ respicit opera et dispositiones, quibus aliquis sufficienter ordinatur ad hoc, quod est sibi conveniens et debitum : et hoc est quod dicitur Deus velle simpliciter, ut salutem* vel aliquid hujusmodi (1) : et *ideo talis voluntas non potest impediri,* sicut nec præscientia cui subjicitur res secundum illas conditiones quibus in actu consistit. Illud autem quod est rectum et bonum secundum aliquam conditionem rei universalem consideratam, non habet rationem voliti simpliciter sed secundum quid tantum; sicut istum hominem, in quantum est homo, non est nisi bonum salvari, eo quod natura sua ad hoc est ordinata et hoc Deus vult voluntate antecedente, secundum

(1) Ita editio Parmensis. Alias : « quod sit sibi conveniens debitum hoc, quod dicitur Deus velle, ut saltem vel ad hujusmodi. »

quam non dicitur aliquid velle simpliciter, et ideo talis voluntas potest non impleri. »

Plura continentur in hoc textu notatu dignissima, quæ brevitatis causa ad tria puncta reducimus, de quorum uno alterove cæteroquin in secunda dissertationis parte sermo recurret.

1. Idem iterum hic indicatur terminus, præ quo voluntas antecedens et consequens dicitur, liberi nimirum creaturæ rationalis actus seu ejus opera et dispositiones, et nullum comparet vestigium alicujus termini a libera voluntate prorsus independentis.

2. Clarissime assignatur ratio cur voluntas consequens, qua Deus perfecte et simpliciter vult vel non vult salutem alicujus hominis, in signo rationis priori supponat ejus dispositiones et opera. Hanc autem rationem desumit S. Doctor ex ipso ordine exsecutionis. Sequenti enim modo argumentatur : voluntas, cum sit ordinata ad opus, *perficitur* (perfecta seu voluntas simpliciter fit) in particulari sicut ipsa operatio. Quando ergo exsecutio alicujus effectus in subjecto, in quo producendus est, præsupponit aliquas dispositiones et opera, propter quæ talis effectus subjecto est conveniens vel debitus, etiam voluntas perfecta et efficax, qua Deus simpliciter vult talem effectum (cum ex natura sua tendat ad ejus productionem), eodem modo præsupponit in subjecto istas dispositiones et opera. Atqui in ordine exsecutionis Deus non confert salutem nisi cui debetur, quia est sufficienter dispositus ac ordinatus ad eam seu quia est *« volens ac merens salutem. »* Ergo pariter Deus nemini perfecte et efficaciter vult salutem, nisi consequenter ad prævisam istam sufficientem ejus dispositionem et ordinationem ad eam.

3. Edicitur *proximam* rationem, cur ista voluntas perfecta et absoluta semper efficaciter impleatur, non ex omnipotentia Dei per se spectata sed ex infallibili ejus

præscientia esse desumendam. Ideo enim, juxta Angelicum, talis voluntas non potest impediri, quia non respicit rem e. g. salutem secundum universalem ejus conditionem, quatenus nempe est salus alicujus hominis, qua hominis tantum, a Deo pro arbitrio suo conferenda, sed quia, sicut ipsa præscientia, respicit eam prout jam *actu* consistit cum omnibus suis particularibus conditionibus et circumstantiis, seu prout salus jam *actu debita* est tali homini, sufficienter disposito utpote volenti ac merenti eam. Licet ergo causæ secundæ, a quibus pendet expletio talis effectus, *deficere possint*, ut sibi objicit S. Doctor ibidem sub 3, nihilominus voluntas Dei consequens semper impletur quia, ut dicit ad illud 3, illa non respicit tantum « expletionem effectus, » sed etiam causas secundas « secundum quod sunt non impeditæ » et quatenus proinde jam libere exeunt in actum, utputa « quod talis volens et merens salutem salvetur. » Inde etiam explicat ibidem ad 2, quomodo ex ista absoluta voluntate, licet præcedat actionem causæ secundæ re existentem, effectus nihilominus non sequatur necessitate antecedenti sed tantum consequenti ipsum liberum creaturæ actum, « sicut, addit, et de præscientia dictum est. » Quomodo autem præscientia contingentium non inducat necessitatem antecedentem explicaverat clarissime Dist. 38, q. 1, a. 5 in corp. inter alia dicens : « non enim potest esse quod Deus sciat hunc cursurum, et iste deficiat a cursu et *hoc est propter certitudinem scientiæ et non propter causalitatem ejus.* » Et ibidem ad 3 præclare dixerat : « Actus divinæ cognitionis transit supra contingens, etiam si futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum *dum est;* et quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium, ideo dicitur, quod in se consideratum est contingens, sed relatum ad Dei cognitionem est necessarium, *quia ad ipsam non refertur nisi secundum quod est in esse actuali,* et ideo simile est : sicut si ego

videam Sortem præsentialiter currere, quod quidem in se est contingens, sed relate ad visum meum est necessarium. »

Eumdem terminum assignat Aquinas, ubique sibi constans, aliis in locis, in quibus aliquam voluntatis antecedentis et consequentis tradit explicationem, hac sola differentia, quod ibi non ita plene utramque voluntatem declarat ac in supra laudato articulo, in quo id ex professo præstat, sed more Patrum expresse considerat tantum eam voluntatem consequentem, qua Deus non vult salutem eorum qui actu non salvantur, quodque idcirco ibi ut terminum designat peccata. Sic de Verit. q. 23, a. 2 in corp., præmisso, uti supra vidimus, voluntatis antecedentis et consequentis intellectum ex Damasceno esse accipiendum, ad utriusque explanationem progressus post pauca dicit : « illud ergo, ad quod Deus creaturam ordinavit *quantum est de se, dicitur esse volitum ab eo quasi prima intentione, sive voluntate antecedente.* Sed quando creatura impeditur propter sui defectum ab hoc fine, nihilominus tamen Deus implet in ea id bonitatis, cujus est capax, et hoc est quasi de secunda intentione ejus et dicitur voluntas consequens. *Quia ergo Deus omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle, sed quia quidam suæ saluti adversantur, quos ordo suæ sapientiæ ad salutem venire non patitur propter eorum defectum, implet in eis alio modo id quod ad suam bonitatem pertinet*, scilicet eos per justitiam damnans, ut sic dum a primo ordine voluntatis deficiunt in secundum labantur, et dum Dei voluntatem non faciunt, *impleatur in eis voluntas Dei.* » Et ibidem ad 2 clarissime scribit : « ordo divinæ voluntatis non attenditur secundum diversa volita, sed per respectum ad unum et idem volitum, propter diversa in eo reperta, *sicut aliquem hominem vult Deus salvari voluntate antecedente ratione humanæ naturæ, quam ad salutem fecit, sed vult eum damnari voluntate consequente, propter peccata quæ in eo*

*inveniuntur.* » Manifesto igitur penes Angelicum terminus, quem sequitur voluntas non salvandi, est peccatum non vero definita ante quodcumque peccatum manifestatio justitiæ Dei, nam hæc justitia juxta ipsum tantum exigit ut non salventur qui suæ saluti adversantur et in quibus jam defectus invenitur.

Similiter in 1 ad Tim. II, lect. 1, explicans hæc verba Apostoli, ibidem v. 4, « qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, » et præmissa triplici notissima expositione S. Augustini, perspicue docet circumstantias particulares, quas respicit voluntas Dei consequens, qua non vult salutem omnium hominum, esse peccata punienda propter bonum justitiæ. Verba S. Doctoris sunt hæc : « Alio vero modo (textus potest explicari) secundum Damascenum ut intelligatur de voluntate antecedente non consequente. In voluntate enim Dei licet non sit prius et posterius, dicitur tamen voluntas antecedens et consequens. Item secundum ordinem volitorum, secundum quod voluntas potest dupliciter considerari, scilicet in universali vel absolute, et secundum aliquas circumstantias et in particulari. Et prius est absoluta consideratio et in universali quam in particulari et comparata. Et ideo voluntas absoluta est quasi antecedens, et voluntas alicujus rei in particulari est quasi consequens. Exemplum de mercatore, qui vult omnes merces suas salvare absolute, et hoc voluntate antecedente; sed si consideret salutem non vult omnes merces per comparationem ad alia salvare, scilicet quando cum salute sequitur submersio navis, et hæc voluntas est consequens. Sic in Deo salus omnium hominum in se considerata habet rationem ut sit volibilis. Et Apostolus hic ita loquitur, et sic ejus voluntas est antecedens. *Sed si consideretur bonum justitiæ et quod peccata puniantur, sic non vult, et hæc est voluntas consequens.* »

Nec ab hac doctrina toties et tam clare expressa recedit

Angelicus Doctor in Summa sua Theologica, sed eamdem prorsus in hoc ultimo suo opere clarissimis verbis iterum repetit atque inculcat. Scribit enim 1, q. 19, a. 6 ad 1 : « Tertio *secundum Damascenum* intelligitur (textus Apostoli 1 ad Tim. II, 4 : « qui omnes homines vult salvos fieri ») de voluntate antecedente non de voluntate consequente. Quæ quidem distinctio non accipitur ex parte ipsius voluntatis divinæ in qua nihil est prius vel posterius, sed ex parte volitorum. Ad cujus intellectum considerandum est quod unumquodque secundum quod bonum est, sic est volitum a Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, e contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, et hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem. Sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi et malum est eum vivere. Unde potest dici quod judex justus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. *Similiter Deus antecedenter vult hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ justitiæ.* » Sicut ergo justus judex non vult aliquem hominem suspendi nisi supposito ejus homicidio, sic Deus non vult aliquos non salvari nisi prævisis eorum peccatis, quæ exigunt ut a divina justitia puniantur.

Perlustravimus hucusque omnia loca, quantum saltem in operibus S. Thomæ deprehendere licuit, in quibus Angelicus Doctor aliquam voluntatis Dei antecedentis ac consequentis suppeditat explicationem. Quæ si quis etiam obiter tantum inspexerit, evidentia perculsus fateri cogetur in omnibus istis ne verbulo quidem innui sæpius memoratam plurium Thomistarum utriusque voluntatis exposi-

tionem. Operæ tamen pretium erit paucis ad trutinam vocare quæ tradunt isti Theologi, ut suadeant se ex S. Thoma suam hausisse doctrinam. Inspiciemus ea, quæ profert Gonet, qui in suo Clypeo Theologiæ Thomisticæ præ cæteris, undique congestis argumentis, traditiones quas censet Thomisticas tueri ac vindicare nititur.

In citato igitur opere tom. 1, Tract. 4, Disp. 4, Art. 1, § 1 laudatus Auctor hanc statuit conclusionem : « Dico secundo : voluntatem antecedentem esse illam, quæ versatur circa objectum, ut non vestitum omnibus circumstantiis quibus est executioni mandandum ; consequentem vero, quæ objectum inspicit, omni sua circumstantia vestitum; v. g. voluntas, quam Deus habet salutis reproborum, est voluntas antecedens gloriæ, quia terminatur ad illam secundum se non attentis omnibus circumstantiis,... illa vero, qua Deus efficaciter vult reprobos excludere a gloria, (quam reprobationem dictam negativam alii minus consequenter verbis quidem temperant, re tamen ipsa retenta) dicitur voluntas consequens, quia omnes circumstantias attendit : pulchritudinem scilicet universi, ac divinæ justitiæ aliorumque attributorum manifestationem. » Quibus præstitutis continuo subdit : « Conclusionem sic explicatam docet D. Thomas hic (1, q. 19) art. 6 ad 1, ubi quid sit voluntas antecedens et consequens sic exponit : *Tertio secundum Damascenum intelligitur...* » sequuntur reliqua paulo superius a nobis descripta.

« Item, pergit Gonet, I ad Tim. II, lect. 1 hæc habet : *Alio vero modo secundum Damascenum ut intelligatur de voluntate antecedente non consequente...* » et reliqua pariter supra allata.

« Denique, prosequitur, in 1, Dist. 46, q. 1, a. 1 ad 2 ait : *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* »

Hisce præmissis sic concludit : « Ex quibus testimoniis liquet secundum D. Thomam (qui, ut fatetur Vasquez, mentem Damasceni, a quo Theologi hanc distinctionem acceperunt, apprime intellexit) voluntatem Dei dici antecedentem et consequentem non ex eo quod antecedat vel supponat nostrum consensum aut præscientiam meritorum vel demeritorum, ut asserunt recentiores; sed dicitur antecedens ex eo quod attingat rem secundum se, et ut præcisam a circumstantiis, sub qua ratione est prior seipsa in particulari, et ut habet adjunctas circumstantias; et consequens ex eo quod sequatur considerationem rerum, ut sunt in seipsis, et ut habent adjunctas omnes circumstantias particulares. »

Hæc sane non difficile diluuntur, ad detegendum enim vitium istius interpretationis sufficit fideliter retinere statum quæstionis. Non enim quæritur : utrum juxta S. Thomam voluntas antecedens respiciat objectum per se et absolute, consequens vero referatur ad rem vestitam suis circumstantiis particularibus, nam hoc omnes uno ore profitentur estque nimis manifestum; sed cardo quæstionis vertitur in hoc : quales sint apud Angelicum istæ particulares circumstantiæ, præ quibus voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, antecedens vel consequens dicatur. Jam vero Gonet aliique qui eum sequuntur, hunc clarissimum statum quæstionis suo agendi modo penitus turbant. Statim enim ac vident S. Thomam docere voluntatem consequentem respicere objectum cum suis particularibus circumstantiis, illud in patrocinium suæ opinionis arripiunt et quaslibet circumstantias pro arbitrio substituunt, minime curantes quales eæ sint, quas ipsemet S. Doctor in sua explicatione indicat. Talis profecto interpretandi modus non est compositus ad indagandam veram ac genuinam alicujus auctoris sententiam. Et re quidem vera, cum circumstantiæ diversorum objectorum sint diversæ, imo unius ejusdemque objecti possint esse multiplices, ad deprehendendam alicujus

auctoris de nostra re sententiam, non sufficit indagasse ipsum generatim docere voluntatem antecedentem respicere rem absolute, consequentem vero eam vestitam particularibus circumstantiis; sed insuper inquirendum est, quasnam ipse assignet circumstantias, præ quibus voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, antecedens et consequens dicitur. Quænam autem sint penes Aquinatem istæ circumstantiæ ex supra disputatis manifestum est, et in ipsis duobus prioribus testimoniis, quæ opponit Gonet, eæ clare indicantur. In primo enim, desumpto ex 1, q. 19, a. 6 ad 1, adjunctum illud quod respicit voluntas consequens non salvandi est peccatum finale, quo posito justitia divina exigit ne talis ad beatitudinem admittatur. Liquet hoc :

1. Ex ipsis verbis : « consequenter vult quosdam *damnari* secundum exigentiam justitiæ, » voluntas enim damnandi certe supponit peccatum.

2. Ex comparatione : sicut enim in justo judice voluntas consequens suspendendi aliquem hominem non est ante omne delictum propter pulchritudinem reipublicæ, sed supponit eum jam esse homicidam, ita pariter voluntas Dei consequens aliquem non salvandi non est propter antecedenter definitam pulchritudinem universi et manifestationem justitiæ divinæ, sed supponit hominem jam esse finaliter peccatorem.

3. Ex eo quod supra vidimus S. Doctorem de Veritate q. 23, a. 2 in corp. clare docere, quodque per se manifestum est, talem esse ordinem divinæ justitiæ ut non patiatur ad salutem venire peccatores ac proinde nullius exigere exclusionem ab ea nisi supposito peccato. Dicit enim ibidem : « Quia quidam suæ saluti adversantur, *quos* ordo suæ sapientiæ ad salutem venire non patitur *propter eorum defectum.* »

In altero vero textu ex 1 Tim. II, lect. 1 pariter tradit circumstantias, quas respicit voluntas consequens non sal-

vandi esse peccata punienda a divina justitia. Verba sunt omnino clara, ait enim ibidem : « si consideretur bonum justitiæ et *quod peccata puniantur*, sic non vult (Deus salutem omnium) et hæc est voluntas consequens. »

Cæteroquin si in istis textibus esset aliqua obscuritas vel potius minus plena utriusque voluntatis explicatio, necessario forent exigendi ad alia loca supra allata, nominatim ad a. 1 ex Dist. 46 in 1, in quo Angelicus, uti vidimus, voluntatem salvificam antecedentem et consequentem ex professo et plenissime explicat.

Quod ad ultimum attinet textum, quem ex Dist. 46 in 1, q. 1, a. 1 ad 2 allegat Gonet, summopere miramur istum Auctorem adducere illa S. Doctoris verba, cum in ipso illo articulo imo in ipsis verbis a Goneto allatis ipsius sententia prorsus excludatur. Et primo quidem in corpore istius articuli expresse docet Aquinas, uti supra vidimus, conditiones et circumstantias, quas respicit voluntas consequens salvandi vel non salvandi, esse hominis bona vel mala opera, quatenus scilicet « *est volens et præparans se ad salutem, vel etiam repugnans et contrarie agens*, » atque hinc, concludit, « *dicitur voluntas consequens eo quod præsupponit præscientiam operum.* » Quando igitur S. Thomas ibidem in responsione ad 2 dicit : « voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ sed ex parte voliti, *quod non accipitur cum omnibus circumstantiis quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem*, » manifesto istæ circumstantiæ sunt eædem illæ, quas in corpore articuli indicavit et data opera plenissime explicavit. In suis enim ad difficultates responsis supponit S. Thomas, uti jam ex rei natura clarum est et ex peculiari modo procedendi ipsius S. Doctoris magis patet, doctrinam in corpore articuli declaratam, juxta quam proinde intelligenda sunt verba in responsionibus adhibita.

Quinimo ipsa verba istius responsi ad 2 etiam per se

spectata, nedum juvent opinionem Goneti, eam potius refellunt. Quænam enim sunt circumstantiæ, quæ requiruntur ad rectum ordinem in salutem seu quibusnam ordinatur homo ad beatitudinem? Sane non sunt aliæ quam status justitiæ ac bona merita, cum ordo salutis sit talis ut non peccatores sed soli justi ad eam admittantur, quod supra vidimus etiam ab ipso Angelico clare expressum de Veritate, q. 23, a. 2 in corp.

Ex his pariter liquet quid judicandum sit de eo, quod idem Gonet l. c. art. 4, § 1, ex hoc ultimo S. Thomæ textu nititur probare voluntatem Dei antecedentem salvandi omnes homines dici conditionatam « quia importat actum conditionatum, quo Deus *vellet* salutem omnium hominum nisi hoc repugnaret ordini suæ providentiæ et nisi ex hoc impediretur bonum universale suæ justitiæ et manifestatio suorum attributorum. » Ut magis pateat quantum istius Auctoris explicatio abludat a mente divi Thomæ, breviter addimus sequentia.

1. Videtur iste Auctor sibi ipsi contradicere : voluntas enim Dei secundum S. Thomam, ipso fatente Gonet, antecedens vel consequens dicitur, prout respicit objectum vel sine, vel cum « *omnibus* circumstantiis, quibus est *executioni mandandum.* » Atqui, arguimus, inter circumstantias particulares, sub quibus homo de facto est salvandus vel non salvandus, profecto etiam et quidem præcipue reponenda sunt ejus dispositiones et opera, nam non nisi debite dispositus salvatur et solus indispositus a salute excluditur. Ergo videtur laudatus Theologus sibi contradicere quando ex illo ipso concludit, voluntatem consequentem salvandi vel non salvandi penes Aquinatem non respicere dispositiones et opera.

2. Voluntas conditionata salvandi omnes, qualem tradit Gonet, manifeste videtur repugnare doctrinæ S. Thomæ. Juxta ipsum enim « Deus *vellet* salutem omnium hominum

nisi hoc repugnaret ordini suæ providentiæ etc.; » juxta Angelicum autem Deus vere *vult* salutem omnium, quia est aliquod bonum et ut tale volitum a Deo. Hoc solo, quod a S. Thoma universalis voluntas salutifera dicatur esse vera voluntas, qua Deus quantum in se est sincere vult salutem omnium, jam videtur manifeste excludi interpretatio Adversariorum. Circumstantiæ enim, præ quibus secundum ipsos voluntas Dei antecedens vel consequens dicitur, nimirum definita ante omnem præscientiam actuum creaturarum pulchritudo universi et manifestatio attributorum Dei, vel sunt necessariæ supposito creationis decreto, vel ut convenientiores tantum pendent a libera determinatione Dei. Si primum, Deus jam non posset omnes salvare, quod nec ipsi admittunt Adversarii. Restat ergo quod istæ circumstantiæ pendeant a libera determinatione Dei. Hoc autem posito videtur sequi :

*a)* Universalem Dei voluntatem salvandi reduci ad hanc : volo omnes salvare si volo, scilicet si volo ita determinare pulchritudinem universi etc., ut ei non repugnet salus omnium. Talis autem voluntas profecto non est vera sed illusoria.

*b)* Cum voluntas manifestandi suam gloriam in Deo præcedat omnem aliam voluntatem circa creaturas, si illa manifestatio in isto signo rationis adeoque ante omnem præscientiam ita supponitur absolute decreta, ut *per se* exigat quod non omnes homines salventur, videtur sequi *nullam* posse esse in Deo voluntatem salvandi omnes. Deus enim nullo modo potest velle aliquid repugnans illi, quod in signo rationis priori *absolute* voluit; posset quidem illud velle si non obstaret absoluta voluntas contraria. Nulla igitur existere potest in Deo vera voluntas circa salutem omnium, sed solum nuda quædam velleitas ac mera complacentia.

Nec majoris momenti est, quod adducit Gonet l. c. art. 1,

§ 1 ad efficaciter, ut ipse loquitur, confirmandum : « voluntatem Dei non dici antecedentem ex eo quod antecedat consensum nostrum aut præscientiam meritorum vel demeritorum, et consequentem ex eo quod consensum et merita aut demerita voluntatis humanæ, ut a Deo prævisa, supponat. » Efficax autem hæc confirmatio est sequens : « voluntas illa antecedens ex D. Thoma est voluntas secundum quid et inefficax, sive velleitas quædam, ut loquitur S. Doctor. Ergo non potest esse voluntas illa antecedens, quam admittunt Adversarii, cum illa sit, quantum est ex parte Dei, efficax et voluntas simpliciter. »

Quam parum efficax sit ista confirmatio facile ostenditur. Imprimis, quo sensu voluntas antecedens salvandi a S. Thoma dicatur esse velleitas, sufficienter explicavimus in capite præcedenti, recolantur igitur quoad hoc ibidem dicta. Quod autem voluntas antecedens juxta Angelicum sit tantum voluntas secundum quid et inefficax, non impedit quominus secundum eumdem S. Doctorem sit simul, quantum est ex parte Dei, efficax. Est enim inefficax eo sensu, quod ipsa salus non sequatur vi solius voluntatis antecedentis, cum hæc sit conditionata ejusque proinde effectus pendeat ab adimpletione conditionis, quæ in ea involvitur quæque non a solo Deo sed a libertate quoque hominum pendet. Est tamen simul efficax, quantum est ex parte Dei, quia Deus vi hujus voluntatis omnibus præstat ea, quæ requiruntur ex parte sui, ut illa conditio impleatur et sic voluntas antecedens, transiens in consequentem, assequatur suum effectum. Hæc est ipsissima doctrina Angelici Doctoris ; ait enim in 1, Dist. 46, q. 1, a. 1 in corp. : « hujus (antecedentis) voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis et promoventia in finem omnibus communiter proposita tam naturalia quam gratuita. » Quia vult omnes homines salvos fieri, « ideo, dicit in Epist. ad Hebr. XII, lect. 3, gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantum in se est se communicat. »

Pariter C. G. III, 159 : « Deus... quantum in se est paratus est omnibus gratiam dare, omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire... Sed illi soli gratia privantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant. » Propter hanc universalem voluntatem salvandi « ad divinam providentiam pertinet, ait de Veritate q. 14, a. 11 ad 1, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. »

Nec inde fit quod ista voluntas antecedens sit voluntas simpliciter, sed manet nihilominus voluntas secundum quid, nondum enim supponitur impleta conditio, quæ ad assequendam salutem requiritur, et consequenter in isto signo rationis Deus non simpliciter sed secundum quid tantum vult salutem, quia ea « non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem. » Nedum ergo qualitates, quibus S. Thomas antecedentem Dei voluntatem salutiferam insignivit, nostram explicationem offuscent ac infirment, illi e contra novum splendorem novumque robur adjiciunt.

Aliud demum argumentum affert laudatus Theologus loco proxime citato dicens : « Prædestinatio includit voluntatem salutis, non solum antecedentem, sed etiam consequentem, ut ait S. Thomas in 1 ad Annibaldum (1), Dist. 46, q. unica, art. 2 ad 1. Sed prædestinatio non supponit præscientiam meritorum, ut cum eodem S. Doctore tractatu sequenti ostendemus. Ergo voluntas consequens non est illa quæ supponit præscientiam meritorum. » Ad hoc argumentum, quantum nititur doctrinæ S. Thomæ, repondemus :

1. Retorquendo : S. Thomas docet prædestinationem in-

(1) Hoc opus ad Hannibaldum plures S. Thomæ abjudicant, cf. inter alios Billuart *De Deo*, Diss. 9, Art. 9, § 2. Idipsum tamen, quod ex hoc opere affert Gonet, docet Angelicus in 1, Dist. 41, q. 1, a. 3 ad 5 dicens : « in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera. »

cludere voluntatem consequentem salutis. Atqui voluntas consequens salutis secundum ipsum supponit præscientiam operum seu meritorum. Ergo juxta S. Thomam prædestinatio ad gloriam supponit præscientiam operum, quod etiam expresse dicit in 1, Dist. 41, q. 1, a. 3 ad 3 : « in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera. »

2. Cum S. Doctor prædestinationem soleat considerare complete, quæstionem vero de voluntate salvifica consequenti tractet in propriis terminis, nemo non videt ejus sententiam de prædestinatione ad gloriam seorsim sumptam facilius ac tutius deduci ex doctrina, quam de voluntate consequenti salvandi perspicue tradit, quam e converso.

3. Utrum verum sit, prædestinationem ad gloriam apud S. Thomam non supponere præscientiam operum, examinabimus in altera dissertationis parte.

Nullatenus quoque admitti potest, quod ibidem respondet Gonet ad sequentia, quæ sibi ex S. Thoma in 1, Dist. 46, q. 1, a. 1 in corp. objicit, verba : « voluntas consequens præsupponit præscientiam operum. » « Respondeo, inquit, quod quando D. Damascenus et S. Thomas dicunt quod voluntas consequens ortum habet ex vitio nostro et supponit præscientiam operum, non loquuntur de voluntate consequente universaliter sumpta, et secundum quod se extendit tam ad bona opera a Deo prædefinita, quam ad mala ab illo permissa; sed de voluntate consequenti specialiter sumpta, seu de voluntate consequenti punitiva, quæ supponit culpam et ex vitio nostro ortum ducit; ut enim explicent voluntatem Dei consequentem, ponunt exemplum in aliquo objecto particulari, quod Deus vult supposita prævisione peccati, scilicet damnationem, et pœnam æternam reproborum; quamvis non sit necessarium, ut id omne, quod Deus vult voluntate consequente, præsupponat peccatum vel præscientiam meritorum aut demeritorum. »

Iis quæ Damascenum spectant abunde satisfecimus in paragrapho præcedente. Examinemus modo contentam in illo responso explicationem verborum S. Thomæ, et ut appareat quam falsa ea sit animadvertimus sequentia.

1. Quando Angelicus dicit : « voluntas consequens præsupponit præscientiam operum, » loquitur non tantum de voluntate consequenti puniendi, ut ait Gonet, sed evidenter etiam de voluntate consequenti salvandi et non salvandi, uti ex immediate præcedentibus patet. « Bonum est, ait, eum qui se præparat et consentit salvari per largitatem gratiæ divinæ; nolentem vero et resistentem non est bonum salvari, quia injustum est... Ideo istum hominem sub istis conditionibus consideratum *non vult Deus salvari, sed tantum istum* qui est volens et consentiens, et *hoc* dicitur voluntas consequens eo quod præsupponit præscientiam operum. »

2. S. Thomam in verbis allatis non simpliciter ponere aliquod exemplum particulare ad explicandam voluntatem consequentem, ut putat Gonet, sed e contra iis determinare, qualis sit voluntas consequens salvandi et non salvandi, legenti citatum articulum facile patet. In eo enim data opera indicat circumstantias, præ quibus voluntas Dei relata ad salutem hominum, de qua unice quærit, antecedens et consequens dicitur.

3. Ex eodem illo articulo insuper constat, Aquinatem non agnoscere aliquam voluntatem consequentem salvandi vel non salvandi ab hominum dispositionibus ac operibus prorsus independentem, tum quia talem voluntatem ibidem non commemorat, quod tamen, si eam agnovisset, præstare debuisset, tum quia eam positive excludit. Et re quidem vera,

*a)* S. Doctorem in laudato articulo non potuisse omittere istam voluntatem consequentem, si eam agnovisset, patet ex consideratione status quæstionis quam ibidem versat. Quid enim sibi proponit Angelicus? Quærit : « utrum Deus

velit omnes homines salvos fieri. » Quomodo huic quæstioni respondet? Distinguit voluntatem antecedentem, qua Deus vult omnes salvos fieri, et voluntatem consequentem, qua jam non omnes sed aliquos tantum vult salvari, ac simul utramque lucidissime explicat. Jam vero quis non videt, ipsum in tali statu quæstionis non potuisse omittere illam voluntatem consequentem, quam Deus conciperet ante omnem prævisionem dispositionum et operum, si eam agnovisset? Certe nullus, tali de voluntate consequenti imbutus opinione hoc modo ad propositam quæstionem responderet. Atqui in tota tamen illa præclara explicatione altum de tali voluntate consequenti silentium; ubique enim dispositiones et opera sunt terminus, præ quo voluntas Dei in antecedentem et consequentem distinguitur. Neque dicatur istam voluntatem consequentem a S. Doctore implicite indicari quando ibidem initio dicit : distinctio divinæ voluntatis contingit « propter diversas conditiones ipsius voliti » et prout in homine consideratur « natura ejus et aliæ circumstantiæ ipsius. » Nam quænam sint istæ diversæ conditiones et circumstantiæ ipse continuo clarissimis verbis explicat.

*b)* S. Thomas in præsenti articulo positive excludit omnem voluntatem consequentem salvandi vel non salvandi ab hominum dispositionibus independentem. Docet enim : « æqualiter bonum est omnem hominem salvari, si in homine consideretur tantum natura ipsius » et non circumstantiæ particulares personæ, quatenus scilicet « est volens et præparans se ad salutem vel etiam repugnans et contrarie agens. » « Et cum omne bonum sit volitum a Deo, hoc etiam Deus vult, et hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult. » Atqui hoc non est verum in opinione Adversariorum, juxta ipsos enim ante considerationem istarum circumstantiarum particularium personæ non est æqualiter bonum omnem ho-

minem salvari, quia obstat majus bonum, nimirum definita ante omnem præscientiam operum pulchritudo universi ac manifestatio attributorum Dei. Ergo S. Thomas hanc opinionem positive excludit.

Similiter ibidem : « Consideratis autem omnibus circumstantiis personæ sic non invenitur de omnibus bonum esse quod salventur... Et quia hoc modo se habet aliquid ad hoc, quod sit volitum a Deo, sicut se habet ad hoc, quod sit bonum, *ideo istum hominem* (nolentem et resistentem) *sub istis conditionibus consideratum non vult Deus salvari, sed tantum istum, qui est volens et consentiens,* et hoc dicitur voluntas consequens eo quod præsupponit præscientiam operum. » Nulla ergo in doctrina S. Doctoris aliorum ab aliis per voluntatem Dei consequentem salvandi et non salvandi discretio, nisi supposita præscientia bonorum ac malorum hominum operum. Atqui in opinione Goneti hæc discretio per voluntatem consequentem jam fit ante omnem prævisionem operum. Ergo S. Thomas talem voluntatem consequentem prorsus excludit.

Hæc paulo prolixius disputata ad propositum nostrum abunde sufficient, et stat igitur firma ac inconcussa conclusio : terminum, præ quo voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, antecedens et consequens dicitur, penes S. Thomam esse liberos creaturarum actus.

Superest modo ut paucis ostendamus Doctorem nostrum in hac sua explicatione non modo, uti vidimus, fideliter inhæsisse vestigiis Patrum, sed etiam cum Theologis sui temporis plene consentire, ex quo communi consensu magis, si fieri potest, firmabitur ac splendescet, Angelici revera eam esse voluntatis salvificæ antecedentis et consequentis doctrinam, quam ex ipsius verbis collegimus. Sit itaque :

### § 3. *Tradita explicatio confirmatur ex communi Theologorum temporis S. Thomæ doctrina.*

Ne elucubratio hæc nostra ultra intentos excurrat terminos, ex præcipuis, qui tempore S. Thomæ floruere Theologis duos tantum hic afferemus, Albertum Magnum scilicet, celebrem quondam divi Thomæ magistrum, et S. Bonaventuram, Angelici Doctoris in studiis sodalem ipsique etiam posteriori tempore amicissime conjunctum, ex quorum testimoniis sufficienter pro scopo nostro patebit, expositam voluntatis salvificæ antecedentis ac consequentis doctrinam tunc temporis communiter in schola viguisse. Ipsi enim non modo suam exprimunt sententiam, sed simul tum implicite, modo eam proponendi, tum explicite testantur explicationem quam tradunt, Magistris sui temporis fuisse communem.

Audiamus itaque verba limpidissima Alberti Magni in 1, Dist. 46, a. 1. Postquam initio articuli paucis memoravit duas ex notissimis S. Augustini super textum Paulinum 1 Tim. II, 4 : « qui omnes homines vult salvos fieri » expositionibus, continuo subjungit : « sed quia istæ solutiones videntur relinquere quod *tota salus pendet a voluntate Dei, et nihil a voluntate nostra consentiendo et cooperando*, ideo magis videtur dicendum *cum Joanne Damasceno*, quod Deus vult voluntate *antecedente* et *non consequente,* et utraque est voluntas *beneplaciti.* Cum autem dicitur voluntas antecedens intelligitur voluntas quæ est essentia divina, connotans effectus ordinatos ad salutem ex parte naturæ et gratiæ... talis autem ordo est in omnibus hominibus... Qui enim hæc ordinavit, omnes homines salvos fieri voluit ; et *dicitur hæc antecedens, quia antecedit in his et nostrum consensum et nostrum opus.* Alia autem est *consequens, quæ est voliti ordinati ad nostrum opus, ut retributionis voluntas sive pro-*

*bono sive pro malo : et hac non omnes vult salvari, quia contrariaretur justitiæ;* et *ideo* dicit *Damascenus* quod hæc *secunda pendet ex nostra causa. Magistri nostri temporis* duobus aliis modis *dicunt idem cum Damasceno.* » Exponit deinde breviter duos istos modos simulque notat eos cum tradita explicatione, licet verbis ab ea differant, realiter tamen convenire.

Quæ b. Alberti verba dum legimus videmur nobis iterum audire præstantissimum ejus discipulum divum Thomam, eadem enim exprimitur doctrina et quidem verbis clarissimis nullique ambiguitati obnoxiis. Ut autem horum verborum, ad probandum quod intendimus, tota perspiciatur vis, quæ in iis continentur paucis exponemus.

1. Universalis Dei voluntas salutifera « dicitur antecedens quia antecedit nostrum consensum et nostrum opus; » voluntas vero consequens salvandi vel non salvandi est tota justitiæ, respicit enim volitum seu salutem ut ordinatam ad nostrum opus et nostrum consensum estque « voluntas retributionis sive pro bono sive pro malo. » Ratio horum omnium est, quia in ordine executionis salus pendet non « a sola voluntate Dei, » sed etiam « a voluntate nostra consentiendo et cooperando. »

2. Hæc, teste Alberto Magno, est explicatio, quam de voluntate salvifica antecedente et consequente tradidit S. Joannes Damascenus, qui ideo dixit quod voluntas consequens « pendet ex nostra causa. »

3. Hæc tandem, testante eodem Theologo, est explicatio quam tradunt « Magistri sui temporis, » nam, licet verbis paulisper aliis re tamen « idem cum Damasceno » docent.

Hac lucidissima Alberti Magni doctrina Angelici Doctoris supra tradita voluntatis salvificæ explicatio mirifice illustratur ac firmissime comprobatur. Præterquam enim quod ex perfecta utriusque Doctoris consensione, quam quisque conferendo b. Alberti explicationem cum ea quam tradit

S. Thomas nominatim in eumdem 1$^{um}$ Lib. Sent. Dist. 46, q. 1, a. 1 illico deprehendet, jam manifestum est et a Magistro et a Discipulo idem prorsus doceri; nostra explicatio duplici adhuc alia ratione hoc testimonio tam efficaciter confirmatur, ut etiam ex hoc solo concludere possemus, Aquinatem de voluntate salvifica eam revera tradidisse doctrinam, quam ex ipso collegimus. Et primo quidem Albertus Magnus l. c. expresse ac indubitanter profitetur, suam voluntatis antecedentis ac consequentis declarationem esse eam, quam tradit Damascenus; hanc autem, uti vidimus, amplectitur et approbat divus Thomas. Imo et Albertus et Angelicus S. Patris explicationem paucis contractam eodem prorsus modo exprimunt : « dicit Damascenus, ait ille, *quod hæc secunda* (voluntas consequens) *pendet ex nostra causa,* » « dicit (Damascenus), scribit Aquinas de Veritate q. 23, a. 2, *quod voluntas consequens est concessio ex nostra causa.* » Testatur deinde idem Albertus in explicationem, a se ex Damasceno traditam, communiter convenire Theologos sui temporis, a quo communi consensu sane sejungi nequit Doctor Angelicus, præstantissimum isto tempore scholæ lumen.

Licet hæc ad nostrum propositum jam plene sufficerent, nihilominus, ut manifestius pateat communis in expositam doctrinam consensus et consequenter magis quoque splendescat intenta confirmatio, non inutile erit adjungere præclara S. Bonaventuræ verba. Scribit autem in 1, Dist. 46, a. 1, q. 1 : « Dicendum quod cum Apostolus dicat quod Deus hoc vult, scilicet omnes homines salvos fieri, necesse habemus concedere quod Deus velit. Et cum non possit exponi de voluntate signi, necesse habemus exponere de voluntate beneplaciti. Sed cum non omnes salventur, et voluntas Dei nunquam frustretur; ideo necesse est quod fiat vis in modo distribuendi vel in modo volendi. Et egregius doctor Augustinus duplicem facit vim in modo distribuendi...

Sed *Damascenus* facit vim in modo volendi. Distinguit enim in Deo voluntatem *antecedentem* et voluntatem *consequentem.* Et voluntas *antecedens est voluntas respectu ejus propter quod Deus hominem fecit et est irrefragabiliter bonorum.* Voluntas autem *consequens* est voluntas non quæ sequitur merita, sed *quæ vult aliqua secundum scientiam meritorum* (supponit non quidem merita jam actu existentia sed eorum præscientiam). *Prima, scilicet antecedens, dicitur a Magistris conditionalis, sive voluntas qua Deus vult quantum in se est.* Secunda autem, scilicet consequens, dicitur absoluta. Differentia autem inter hanc voluntatem et illam non est secundum diversitatem affectionis, sive modi volendi qui sit in Deo, sed secundum rationem connotandi et intelligendi. Prout enim Deus dicitur velle omnium salutem quantum in se est et antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ... Velle ergo hominem antecedenter salvare est ordinatum ad salutem facere et volenti pervenire non deesse. Unde velle antecedenter salvare non connotat salutem sed ordinabilitatem ad salutem. *Velle autem consequenter sive absolute salvare est velle dare salutem ei, quem præscit ad salutem perventurum per suum auxilium et gratiam et connotat salutis eventum.* Et sic non est dicere quod Deus velit omnes homines salvos fieri. *Huic responsioni magis consonant Magistri,* quamvis utraque bona sit. Secundum hanc ergo respondendum, quod Deus vult omnes homines salvos fieri quantum in se est voluntate antecedente non autem voluntate absoluta sive consequente, et quia illa non connotat effectus eventum ideo non impeditur in hoc quod non omnes salventur. » Verba hæc per se clara sunt et nulla indigent declaratione; eadem ingeminatur doctrina, eodem modo a Damasceno mutuata et in quam Theologos istius temporis communiter convenire iterum inculcatur. Est enim voluntas antecedens penes Doctorem Seraphicum voluntas condi-

tionalis, qua Deus quantum in se est vult salutem omnium, et conditio quæ in ea involvitur, seu terminus præ quo antecedens dicitur est prævisus bonus usus mediorum, quibus homines ordinantur in salutem, nam non nisi hac præscientia supposita succedit voluntas consequens, qua Deus absolute « vult dare salutem ei, quem præscit ad salutem perventurum per suum auxilium et gratiam. »

Idem jam implicite docuerat Alexander Alensis 1, q. 36, memb. 2 : « Ad illud quod dixerunt alii : quod (textus Apostoli : vult omnes homines salvos fieri) de voluntate conditionali esset intelligendum non de voluntate absoluta. Dicendum quod *sic potest dici*, sed conditio talis non debet apponi : vult omnes homines salvos fieri *si ipsi volunt*, *propter parvulos*, sed debet apponi, vult omnes homines salvos fieri quantum in se est, videlicet qui sunt digni vel susceptibiles salutis. » Concedit itaque iste Theologus voluntatem Dei salutiferam antecedentem pro adultis, qui boni operis sunt capaces et se ope gratiæ dignos salute reddere possunt, involvere conditionem : si ipsi velint cooperari gratiæ, et consequenter non nisi prævisa hujus conditionis impletione transire in voluntatem consequentem et absolutam salvandi. Imo idipsum jam expresse asseruerat Doctor irrefragabilis ibidem paulo supra, ubi explanans textum Paulinum allatis notissimis S. Augustini explicationibus subjunxerat : « aliter secundum Damascenum (sicut supra dictum est) voluntate antecedenti vult omnes salvari, voluntate vero consequenti non. » Sensum autem hujus distinctionis ibidem in antegressis ex doctrina Damasceni sic tradiderat : « Secundum ergo Damascenum dicendum quod voluntas beneplaciti uno modo dicitur respectu naturæ rationalis possibilis ad beatitudinem quantum est de sua conditione : et hanc dicit voluntatem antecedentem, qua scilicet vult omnes homines salvos fieri ; quia de voluntate ejus est, ut de natura conditionis ejus sit homo ordinatus ad beati-

tudinem. Alio modo est *respectu nostri meriti, quod est ex nobis et hæc dicitur consequens voluntas, qua scilicet non vult omnes salvari, nisi solum illos, quorum merita exigunt salutem.* »

Ex his omnibus igitur indubie constat, Theologos tempore S. Thomæ in doctrinam, quam ex ipsius scriptis collegimus, communiter conspirasse. Nemo autem non videt ex hac communi conspiratione validam simul ac splendidam accedere confirmationem nostræ conclusioni supra stabilitæ : terminum, præ quo voluntas Dei salvifica antecedens vel consequens dicitur, penes S. Thomam esse liberos creaturarum actus. Hac itaque omni ex parte firmata ac roborata, progredi possumus ad deducendum ex ea gravissimum pro re nostra corollarium.

§ 4. *Corollarium. Ex doctrina exposita valida oritur præsumptio : S. Thomam non docuisse prædestinationem gloriæ seorsum sumptæ ante prævisa merita supernaturalia.*

Exposita clara ac germana S. Thomæ doctrina de termino, præ quo voluntas Dei, quando agitur de salute hominum, antecedens et consequens dicitur, pronum est colligere consectarium quoddam summi momenti pro ipsius doctrina de prædestinatione. Ex universali enim voluntate salutifera antecedenti prævisionem actuum liberorum, qualem profitetur et multoties inculcat Angelicus Doctor, nobis videtur evidenter consequi, ipsum non potuisse docere absolute antecedentem prædestinationem ad gloriam seorsim sumptam. Paucis itaque ostendere, quomodo hoc consectarium ex sententia S. Doctoris de voluntate Dei salvifica sponte fluat, et sic præstituere firmum fundamentum pro indagatione ipsius doctrinæ de prædestinatione, erit

scopus præsentis paragraphi. Quod ut ex ordine præstemus, duplex afferimus argumentum; primum desumimus ex repugnantia quæ inter antecedentem prædestinationem ad gloriam et universalem voluntatem salvificam videtur esse manifesta, alterum deducimus ex simplici analysi doctrinæ Angelici de voluntate salutifera.

I Argumentum. Cum prædestinatione ad gloriam, absolute antecedenti prævisionem finalis justitiæ necessario conserta est antecedens reprobatio negativa. Atqui hæc antecedens reprobatio negativa non potest componi cum antecedenti voluntate salvandi omnes seria et operosa, qualem profitetur S. Thomas. Ergo cum doctrina de voluntate salvifica, tradita a S. Thoma, pugnat absolute antecedens prædestinatio ad gloriam et consequenter hanc docere nequivit Angelicus Doctor.

Antequam ad declarationem argumenti progredimur, pro majori claritate juvabit animadvertere nos hic abstrahere a singulari opinione Ambrosii Catharini, qui, si tamen hæc est ejus sententia (1), prædestinationem ad quosdam eximie sanctos restringens, opinatur multos alios salvari quin sint a Deo prædestinati. Hæc enim opinio merito rejicitur a Theologis, communiter docentibus neminem salvari qui non est a Deo prædestinatus, quod etiam clarissime tradit Doctor noster. Etenim 1, q. 23, a. 1 in corp. sic discurrit : nulla creatura rationalis potest salvari seu assequi finem excedentem vires suas naturales nisi in hunc finem a Deo transmittatur. Jam vero Deus nihil operatur in tempore, quod non præconcepit et præstituit ab æterno. Ergo etiam

(1) Sunt enim plures Theologi, qui negant hanc esse germanam Catharini sententiam; autumantes ipsum statuere duplicem ordinem prædestinatorum, unum eorum qui sunt prædestinati ante prævisa merita per auxilia infallibilia et efficacissima, alterum eorum qui sunt prædestinati post prævisa merita ex gratia generali et omnibus communi. Ita censet inter alios Tournely, Cursus Theolog. P. I, Q. 22.

ratio istius transmissionis præexistit in Deo æterna. Atqui hæc ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ est ipsa prædestinatio, consequenter nullus salvatur nisi sit a Deo prædestinatus. « Ad illud autem, inquit S. Doctor, ad quod non potest aliquid virtute suæ naturæ pervenire, oportet quod ab alio transmittatur... Unde, proprie loquendo, rationalis creatura, quæ est capax vitæ æternæ, perducitur in ipsam, quasi a Deo transmissa. Cujus quidem transmissionis ratio in Deo præexistit, sicut et in eo est ratio ordinis omnium in finem, quam diximus esse providentiam. Ratio autem alicujus fiendi in mente actoris existens, est quædam præexistentia rei fiendæ in eo. Unde ratio prædictæ transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædestinatio nominatur. » Supponimus itaque hic communem Theologorum doctrinam, neminem scilicet posse de facto salvari, nisi sit prædestinatus seu omnes salvandos esse prædestinatos, et supponimus, quod unice pro scopo nostro requiritur, hanc esse sententiam S. Thomæ, uti ex loco proxime allato manifestum est. Quibus prænotatis ad ipsum argumentum declarandum gressum facimus.

Propositio major vix indiget declaratione, eamque facile concedunt Adversarii. Et re quidem vera, si ex una parte prædestinatio complectitur omnes et solos salvandos et ex altera parte illa tota absolvitur ante omnem prævisionem actuum liberorum ac dispositionum hominum, evidenter sequitur omnes alios in eodem signo rationis, id est ante omnem præscientiam ipsorum actuum ac dispositionum, esse negative reprobatos a salute æterna, seu aliis verbis esse præteritos in prædestinatione, sine qua actu salvari nequeunt, et consequenter eo ipso infallibiliter in æternum perituros.

Hoc est tam manifestum, ut etiam omnes illi Theologi, qui antecedentem prædestinationem ad gloriam profitentur, quoad omnes non sic prædestinatos reprobationem nega-

tivam admittant, licet in modo eam explicandi aliquatenus dissentiant. Diversi hi modi concipiendi reprobationem negativam ad duplicem generalem classem reduci possunt; vel enim concipitur ut actus positivus divinæ voluntatis, quo Deus omnes non prædestinatos antecedenter *vult excludere a gloria* tamquam a beneficio indebito seu non admittere ad æternam beatitudinem ipsis indebitam, vel consideratur ut actus positivus divinæ voluntatis, quo Deus non prædestinatos antecedenter vult *excludere ab electione efficaci ad gloriam et permittere ut ii omnes sua culpa a salute deficiant.* In unam alteramve ex his duabus explicationibus omnes defensores gratuitæ prædestinationis ad gloriam conveniant necesse est, nam in mera negatione actus sisti nequit, et de facto ita esse reperire est apud illos, qui istam prædestinationem propugnant. Pro prima acceptione occurrunt nobis antiquiores Thomistæ, uti, teste ipso Billuart de Deo, Diss. 9, Art. 9, § 2, Alvárez, Salmanticenses, Joannes a S. Thoma, Gonet, Contenson et alii. Est quidem et inter hos ipsos Theologos quædam explicandi differentia, dum scilicet alii, uti Gonet ejusque sequaces doceant omnes homines non salvandos esse positive exclusos a gloria in pœnam originalis peccati, alii vero hominum quoque reprobationem negativam factam esse dicant etiam antecedenter ad prævisum totius humani generis in protoparente lapsum; sed hæc diversitas pro nostra controversia nullius est momenti, cum ex una parte universalis voluntas Dei salvifica, etiam in doctrina S. Thomæ, respiciat homines in Adamo jam lapsos, et ex altera parte opinio Goneti de motivo negativæ reprobationis omnino sit explodenda et a posterioribus Thomistis jam laudabiliter rejiciatur. Secundam reprobationis negativæ declarationem, quoad formam mitiorem, tradunt recentiores Thomistæ Goudin, Graveson, Billuart, qui primam ut alienam a mente S. Thomæ, nimis duram ac universali voluntati

salvificæ repugnantem rejiciunt (cf. Billuart l. c.), existimantes se sua mitiori explanatione universalitatem voluntatis salutiferæ tueri posse. Hisce addi potest ex extraneis Suarez, qui, de Prædest. et Reprob. Lib. V, Cap. 4, reprobationem negativam reponit in « actu positivo non eligendi seu non volendi eligere » reprobos.

Ut quid nobis de hac dissensione videatur aperiamus, cogimur fateri antiquiores illos Thomistas in sua determinatione reprobationis negativæ magis consequenter loqui quam posteriores, qui videntur ex hujus consequentiæ timore ad aliquod temperamentum confugisse. Etenim si Deus antecedenter ad omnem prævisionem meritorum vel demeritorum absolute determinavit omnes et solos collocandos in æterna beatitudine sicque complevit numerum salvandorum, qui ratione immutabilitatis divini decreti augeri nequit, sane evidens est eo ipso pro omnibus non comprehensis in isto numero consequi impossibilitatem antecedentem actu assequendi salutem. Jam vero nonne idem est antecedenter impossibile sibi esse actu pervenire ad gloriam et esse antecedenter positive exclusum ab ea, ac proinde nonne consequenter dicendum Deum omnes non prædestinatos antecedenter positive exclusisse a gloria? Sed quidquid dicatur de istis duobus modis explicandi reprobationem negativam, licet verbis re tamen nullatenus differunt, quod jam in evolutione propositionis minoris nostri argumenti ostendere conabimur.

Antequam autem ad eam transimus liceat hic obiter advertere istam diversitatem in explicando reprobationem negativam, cum antecedenti prædestinatione indivulse connexam, spectato simul hujus diversitatis motivo, ipsi doctrinæ de absolute gratuita electione ad gloriam aliquale afferre præjudicium.

Veniamus modo ad probationem minoris : antecedentem scilicet reprobationem negativam non posse componi cum

universali voluntate salvandi seria et actuosa, qualem profitetur S. Thomas.

Et primo quidem si reprobatio negativa reponitur in positiva exclusione a gloria, nimis manifestum est eam adversa fronte pugnare cum universali voluntate salvandi, quam juxta doctrinam S. Thomæ Deus concipit in eodem signo rationis, id est antecedenter ad præscientiam operum ac dispositionum hominum. Non hic opus est multis verbis, sufficit enim invicem opponere has duas propositiones : absolute volo talem ante prævisam quamcumque ejus culpam positive excludere a gloria, et hanc alteram : volo quantum in me est, ut talis dummodo ipse non desit, ad gloriam perveniat, ut illico repugnantia etiam cæcutientis oculos percellat. Hoc probe agnoverunt recentiores Thomistæ, ideoque illam reprobationis negativæ explicationem, velut antecedenti voluntati salutiferæ contrariam, laudabiliter rejecerunt. Audiatur speciminis gratia Billuart, qui l. c., relata ista vetustiorum Thomistarum explicatione, ad eam refellendam progrediens dicit se proferenda magna ex parte mutuari a Goudin et Graveson, ejus itaque testimonium ut aliorum simul spectari potest. Afferens itaque ibidem laudatus Auctor primum argumentum ait : « Juxta S. Scripturam et præsertim Apostolum Deus quantum ex se est vult sincere ut omnes salvi fiant, ita ut eorum damnatio ex ipsis solis proveniat; atqui si Deus ante omnem culpam ex parte reprobi prævisam decrevisset positive eum a gloria et salute æterna excludere, atque ad id ut ad finem a se intentum media conquireret, *palam est* quod quantum ex se est non modo non vellet eum salvari, sed e contra vellet eum a salute excludi et in æternum perire. »

Assumimus nunc tamquam fundamentum primæ nostræ probationis hanc ipsam istorum Theologorum confessionem et sequenti modo arguimus : Positiva ante prævisam omnem culpam reproborum exclusio a gloria non potest componi

cum universali voluntate salvifica; atqui omnis reprobatio negativa, necessario fluens ex prædestinatione ad gloriam absolute antecedenti, quocumque modo verbis explicetur, re convenit cum positiva exclusione a gloria. Ergo omnis antecedens negativa reprobatio universali voluntati salutiferæ repugnat.

Major nobis cum Adversariis communis est, et ejus veritas ex supra dictis evidenter liquet.

Probanda est igitur minor. Jam vero ex ipsa notione prædestinationis absolute antecedentis irrefragabili consequentia sequi videtur omnes non prædestinatos eo ipso, quod sunt præteriti, esse exclusos a gloria. Quid enim est ista absolute antecedens prædestinatio ad gloriam? Nihil aliud quam determinatio completa et immutabilis omnium actu salvandorum, est completio numeri, tum materialiter tum formaliter sive incremento sive diminutione indefectibilis, omnium et singulorum collocandorum in æterna beatitudine, quæque determinatio ac completio fit ante omnem præscientiam actuum liberorum creaturarum. Sed immutabiliter determinatis personis actu salvandis, concluso indefectibiliter numero salvandorum, plane evidens est vi istius decreti absoluti ac immutabilis nullum alium posse istis personis salvandis adjungi, nullum alium posse intrare in numerum conclusum. Atqui qui non potest personis determinatis solisque salvandis adjungi, qui non potest intrare in numerum collocandorum in æterna beatitudine profecto non potest salvari, non potest pervenire ad gloriam. Jam autem qui non potest salvari, qui non potest pervenire ad gloriam, manifesto est exclusus a salute, est exclusus a gloria. Ergo ex prædestinatione absolute antecedenti necessario sequitur omnium non prædestinatorum antecedens exclusio a gloria et consequenter omnis reprobatio negativa, ex ista prædestinatione sponte fluens, est exclusio a gloria ac proinde repugnans universali voluntati salvandi. Quantumcumque

igitur assertores antecedentis prædestinationis ad gloriam reprobationem negativam verbis mitioribus emollire student, cortici verborum quidem duritiem auferunt ipsi tamen rei totam asperitatem relinquunt. Nulla autem est lis de verbis sed agimus de re, quæ fatentibus ipsis Adversariis cum voluntate Dei salvifica conciliari nequit, ac proinde, quidquid dicant, irrefragabilis consequentia, quam tantopere pertimescunt, toto suo pondere in eos recidit.

Neque dicatur : « Deus prædestinando aliquos non format hunc actum : volo cæteros rejicere a gloria, sed istum : volo permittere ut cæteri sua culpa decidant a gloria; qui actus est quidem exclusio ab electione efficaci ad gloriam, sed non exclusio positiva ab ipsa gloria. » Ita Billuart l. c. in solutione objectionum. Hæc sane non difficile diluuntur. Etenim :

1. Posito etiam quod Deus in isto signo rationis, in quo omnes salvandos absolute eligit ad gloriam, circa alios non concipiat actum positivum, quo eos explicite ac formaliter excludit immediate a gloria, habet tamen actum positivum æquivalentem, quo eos implicite et de facto excludit a gloria.

Licet quidem, admissa prædestinatione absolute antecedente ad gloriam, nobis magis consequens videatur ponere in Deo actum positivum ac formalem exclusionis a gloria, perinde tamen est sive exclusio reproborum fiat actu formali ac signato sive actu æquivalenti et exercito, in utroque enim casu verum est Deum eos positive excludere a gloria. Jam autem non posse negari Deum eo ipso, quod omnes salvandos absolute eligit ad vitam æternam, cæteros omnes æquivalenter et in actu exercito a beatitudine excludere, in proxime antecedentibus demonstratum fuit et instaurando argumentationem ibi factam iterum sic probari ac magis urgeri potest. Decretum illud, quo Deus antecedenter ad omnem prævisionem actuum ac dispositionum creaturarum ex universis hominibus omnes et solos salvandos absolute eligit ad gloriam, duplicem dicit respectum, unum expli-

citum et formalem ad prædestinatos ut *solos* collocandos in æterna beatitudine, et *eo ipso* alterum implicitum ad cæteros omnes ut non salvandos, ut non admittendos ad vitam æternam et proinde ut exclusos a gloria. Soli enim prædestinati salvantur, cæteri vero omnes non possunt actu salvari sed infallibiliter peribunt, secus mutari posset decretum absolutum et immutabile Dei, quod repugnat; qui autem non possunt actu salvari manifeste sunt exclusi a salute. Atqui non possunt actu salvari et infallibiliter peribunt, *quia* Deus alios *solos* immutabiliter elegit ad gloriam. Ergo vi ipsius illius decreti *exclusivi* omnes non prædestinati sunt exclusi a salute et consequenter idem actus, explicite eligens *tantum aliquos* ad gloriam est simul implicite excludens omnes alios ab eadem gloria. Hæc pulcherrime illustrari possunt sequenti exemplo. Prope domum alicujus prædivitis jacent decem infirmi, qui non possunt istam domum ingredi nisi hero volente eosque per se vel per suos domesticos adjuvante, quique, si non admittuntur in illam domum, fame et miseria infallibiliter pereunt. Ponamus autem istum herum ab una parte sincere velle ut omnes decem intrent in suam domum nisi seipsos impediant, ab altera vero parte, non attenta eorum voluntate, utrum velint nec ne cum suo adjutorio intrare, ipsum absolute ac immutabiliter parare in sua domo quinque tantum mansiones neque plures neque pauciores et simul ex decem infirmis determinare nominatim quinque collocandos in paratis mansionibus. Nonne evidens est alios quinque *eo ipso* esse exclusos ab ista domo? Et quis sanæ mentis diceret, istum herum quantum in se est sincere velle ut omnes decem illi miseri intrent in suam domum nisi seipsos impediant? Jam vero pari modo ageret Deus in prædestinatione absolute antecedenti ad gloriam et consequenter eodem instante, quo determinaret numerum salvandorum, cæteros omnes si non explicite ac formaliter

saltem implicite et æquivalenter ab ipsa gloria excluderet.

2. Sed prætermisso, quod ex ipsa notione absolute antecedentis prædestinationis ad gloriam necessario admittenda sit saltem implicita reproborum exclusio immediata a gloria, etiam in ipsa explicatione Adversariorum per se inspecta semper manet reprobatio negativa quoad substantiam eadem, ac proinde eodem modo repugnans sinceræ Dei voluntati salutiferæ. Inspiciamus itaque aliquantisper mitiorem illam reprobationis negativæ formam, quam supra vidimus a Billuart his verbis conceptam : « Deus prædestinando aliquos non format hunc actum : volo cæteros rejicere a gloria, sed istum : *volo permittere ut cæteri sua culpa decidant a gloria;* qui actus est quidem *exclusio ab electione efficaci ad gloriam*, sed non exclusio positiva ab ipsa gloria. » Nullum valemus detegere reale discrimen inter hanc reprobationem negativam et illam quæ stat in positiva exclusione a gloria, utrobique enim asseritur vera exclusio a gloria. Quid enim est ista exclusio ab electione efficaci ad gloriam? Est exclusio ante omnem culpam prævisam ab eo beneficio sine quo nemo actu salvari potest, soli enim efficaciter electi de facto ad salutem pervenire possunt. Atqui qui sine ulla culpa excluditur ab aliquo beneficio sine quo gloriam actu consequi nequit, manifeste eo ipso sine culpa excluditur ab ipsa gloria, nam aliquis actus ideo vocatur exclusio a gloria quia propter illum gloria actu obtineri nequit. Ergo exclusio antecedens ab electione efficaci ad gloriam est exclusio ab ipsa gloria.

Quid insuper judicandum est de ista voluntate antecedente et absoluta permittendi ut omnes non prædestinati a salute deficiant? Videtur manifeste voluntas negandi veram possibilitatem salutis ac consequenter voluntas non salvandi et excludendi a gloria. Quid enim est permissio? Permittere est simpliciter non impedire, et Deus dicitur aliquid permittere « *in quantum*, ut ait S. Thomas 1, q. 19,

a. 12 in corp., *non impedit operationem.* » Deus autem impedit hominis defectionem a salute largiendo ipsi auxilium, cum quo scit eum ad salutem perventurum. Est ergo voluntas permittendi ut omnes non prædestinati sua culpa a gloria deficiant nihil aliud, quam voluntas negandi auxilium quo certo eorum impediretur defectio. Jam vero ut ex hac voluntate antecedente infallibiliter sequatur, omnes non prædestinatos a gloria deficere, necesse est ipsos, deficiente illo auxilio, vera salutis possibilitate carere. Si enim ipsis possibile esset salvari, salus profecto sequi posset et posset non sequi eorum defectio a salute; porro, si absque tali auxilio posset non sequi defectio a salute, evidenter ex sola voluntate negandi istud auxilium, quæ utpote simplex negatio integram relinquit causam, non foret infallibiliter certa defectio a salute. Atqui ex sola ista voluntate antecedente permittendi, quatenus absoluta atque ipsa reprobatione negativa, infallibiliter certum est omnes non prædestinatos a gloria deficere, quod et ipsi Adversarii ultro fatentur; sive enim Deus positive velit excludere reprobos a gloria sive velit solum permittere ut ab ea deficiant, « *idem*, ait Billuart l. c., *sequetur effectus ex parte reprobi.* » Ergo ista voluntas permittendi est voluntas negandi omnibus non prædestinatis veram possibilitatem salutis, hæc autem absque dubio est voluntas non salvandi et excludendi a salute.

Cæterum, et hoc valet de omni reprobatione negativa, per istam voluntatem antecedentem et absolutam ponitur in Deo aliquis actus, a prævisione causarum secundarum nulla ratione pendens, propter quem metaphysice repugnat ut non prædestinati salventur. Atqui si Deus independenter ab omni prævisione causarum secundarum ponit actum, propter quem solum metaphysice repugnat ut aliquis homo salvetur, sane non potest dici in eodem signo velle istum hominem salvare nisi seipsum impediat. Nonne enim contradictorium est sincere velle ut aliquis salvetur et velle aliquid ratione cujus metaphysice repugnat ut salvetur?

Tandem cum illa voluntas permittendi præcedat decretum distributionis gratiarum, manifeste videtur sequi Deum debere de industria seligere pro omnibus, quorum vult permittere defectionem a salute, tales gratias cum quibus scit eos non perventuros ad salutem, secus enim fieri posset ut salvarentur et ut consequenter non esset permissio quam absolute vult. Atqui hoc non potest componi cum universali voluntate salutifera seria et operosa, qua Deus omnes gratias eo dirigit ut homines salventur (1).

(1) Juvabit hic breviter notare nos non valere intelligere quomodo hæc duo componi possint : Deus ante prævisam hominis culpam absolute vult ipsi negare gratiam per se efficacem et nihilominus homo non nisi propter culpam privatur gratia per se efficaci. « *Ante culpam* potest Deus titulo beneficii indebiti velle ipsum (hominem)... non adjuvare efficaciter, quod est velle permittere ut per culpam a gloria decidat. » Ita Billuart l. c. Diss. 9, Art. 9, § 2. « Dicimus, inquit idem l. c. Diss. 8, Art. 4, § 3, ideo hominem privari gratia efficaci, quia resistit sufficienti, quia efficacem non vult habere, quia *peccando* apponit ipsi impedimentum. » Hæc duo nobis videntur manifeste repugnare. Nam præterquam quod esset homini, priusquam peccaret, simul impossibile habere gratiam efficacem et possibile ipsa non carere, ac poneretur in eodem signo, nimirum ante culpam, voluntas Dei independens simul et pendens a culpa hominis, atque tandem Deus dicendus videretur Auctor peccati, quod ratione suæ voluntatis absolutæ faciendum curare deberet; insuper sequeretur culpam esse causam illius quod est ipsa natura prius atque ipsius saltem conditio sine qua non. Carentia enim gratiæ per se efficacis est natura prior quam ipsa culpa estque in homine, instructo gratia sufficienti (in sensu Thomistico intellecta) saltem conditio sine qua peccatum esse non potest et qua posita certo erit. Nam Deus juxta eosdem Auctores cognoscit infallibiliter peccata futura in decreto permissionis, quod est ipsa voluntas negandi gratiam per se efficacem, « cognoscit Deus peccata futura in suo decreto permissivo hoc est in decreto suspendendi seu denegandi auxilium ad vitandum peccatum. » Billuart l. c. Diss. 6, Art. 4, § 2. Si autem negatio gratiæ per se efficacis non est aliquid natura prius, cum quo infallibiliter nectitur existentia peccati, sed aliquid ipsa culpa natura posterius, non potest esse medium in quo Deus peccatum infallibiliter cognoscit vel saltem est medium prorsus inutile. Sicut ergo præmotio physica ad entitatem physicam peccati, in cujus præmotionis decreto Deus infallibiliter cognoscit materiale peccati, natura præcedit ipsum actum qui in ea cognoscitur, sic etiam permissio seu privatio gratiæ per se efficacis, in cujus decreto conjuncto priori Deus certo prævidet ipsam

Sed, inquiunt, non obstante illa exclusione ab electione efficaci ad gloriam « reprobi manent semper ordinati ad gloriam, ita ut nisi seipsos impedirent, ad eam pervenirent, nec per Deum, qui semper ex se paratus est adjuvare, stet, quin ad eam perveniant, staret autem per Deum si primum actum (exclusionis a gloria) habuisset, quia ipse esset qui eos a gloria repelleret, et salutis januam occluderet. » Ita Billuart l. c. Ast sibi illudere videtur iste Auctor. Quomodo enim componitur vera ac sufficiens ordinatio in salutem cum antecedenti impossibilitate eam actu assequendi? Quomodo possunt seipsos non impedire quin ad salutem perveniant, quibus Deus, ante omnem ipsorum conatum, absolute statuit denegare auxilium, ad vitandum impedimentum omnino necessarium? Quomodo non per Deum stat quod ad salutem non perveniant, quibus ante omnem culpam absolute non vult largiri gratiam, sine qua ad salutem de facto pervenire nequeunt? Quomodo Deus ex se semper paratus est eos adju-

culpam, natura præcedit culpam quæ in ea cognoscitur. Neque dicatur, peccatum et carentiam gratiæ efficacis se mutua respicere prioritate naturæ. Nam quidquid est de doctrina de mutua prioritate causarum universim sumpta, ea certe nostræ rei applicari nequit, rediret enim observatio, mox facta, pro ea causalitate qua culpa præcederet negationem gratiæ, præsertim cum, sicut ipsa subtractio gratiæ efficacis, etiam decretum Dei absolute statuens hanc subtractionem ab eadem illa causalitate penderet.

Operæ pretium erit audire quomodo ipse Billuart repugnare ostendat, imo argumento probet, illa duo, quæ cum aliis docet, Deum scilicet ante culpam velle homini negare gratiam per se efficacem et nihilominus hominem non nisi propter culpam illa gratia privari. Probans laudatus Theologus, l. c. Diss. 9, Art. 9, § 1, reprobationem positivam necessario consequi culpam hominis prævisam, sequenti utitur argumento : « Deus nihil vult nisi secundum quod habet rationem boni. Atqui pœna ex se non habet rationem boni, sed solum præsupposita culpa. Ergo Deus non vult pœnam nisi præsupposita culpa. » Idem scribit, l. c. Diss. 8, Art. 4, § 3 : « Deus non vult nisi bonum, quod autem homo careat gratia (efficaci) non est bonum simpliciter; sed quod ea careat, quia eam habere non vult, (quia peccat)... est bonum quia justum. » Ergo, necessario concludere deberet, Deus non vult privationem gratiæ efficacis nisi supposita culpa; vidimus tamen supra eum docere : Deum ante culpam velle negare gratiam efficacem.

vare, quos antecedenter ab isto adjutorio absolute exclusit? Quomodo Deus non excludit ac repellit a gloria, quos excludit ac repellit a mediis ad eam obtinendam absolute requisitis? Quomodo tandem salutis januam non occludit iis, quos absolute repellit ab adjutorio quo solo patriam cœlestem ingredi possunt? Quid demum est ista ordinatio in salutem, manens pro exclusis ab electione efficaci? Estne vera ac sufficiens? Profecto non. Est insufficiens ac illusoria. Ordinatio enim est propter illud, ad quod quis ordinatur, sicut potentia, quæ ordinatur ad actum, est propter ipsum actum, ut docet S. Thomas 1, q. 105, a. 5 in corp. : « forma, quæ est actus primus, est *propter suam operationem* quæ est actus secundus. » Ordinatio ergo hominum in salutem est propter ipsam salutem, et potentia ad eam, quam ista ordinatio involvit, est propter actum assequendi salutem. Atqui ordinatio, cui ex absoluta voluntate ordinantis deest aliquid omnino necessarium ad obtinendum illud ad quod instituta est, sane non est vera ac sufficiens ordinatio; similiter potentia perveniendi ad aliquod bonum, quæ ex antecedenti absoluta voluntate dantis caret auxilio necessario ad actu consequendum illud bonum, evidenter non est vera ac sufficiens potentia sed potius vera impotentia. Jam autem talis est antecedenter negative reprobatorum ordinatio in salutem, deest enim ipsis ex absoluta Dei voluntate illud, sine quo salus actu sequi nequit; talis quoque est ipsorum potentia perveniendi ad gloriam, caret enim ex antecedenti et absoluta Dei voluntate auxilio, sine quo metaphysice repugnat ut in actum exeat. Ergo ista ordinatio reproborum in salutem non est vera sed insufficiens ac illusoria, ipsorumque potentia non est nisi inanis quædam potentia in abstracto atque in rei veritate vera antecedens impotentia. Qui autem aliquem, ante prævisam quamcumque ejus culpam, absolute vult insufficienter tantum ordinare in salutem, eique non veram ac sufficientem gloriam adipiscendi

largiri potentiam, manifesto istum mediate quidem sed positive excludit a gloria et consequenter absolute vult non salvare. Hæc quoque pulcherrime illustrari possunt exemplo, superius a nobis allato. Convertamus igitur iterum oculos ad decem illos infirmos, jacentes prope domum prædivitis. Præ debilitate sua, licet invitati, non possunt istam domum ingredi, nisi physice adjuventur ac sustententur ab ipso hero vel ejus domesticis. Fingamus nunc istum herum, paratis in sua domo quinque mansionibus pro quinque ex illis infirmis nominatim determinatis, ac nullatenus attento utrum cæteri velint necne in domum intrare, absolute statuere se quinque non electos vocaturum quidem ad domum nullo modo vero ipsis præstiturum physicum adjutorium ac sustentaculum. Nonne ista vocatio ac invitatio ficta est et illusoria, imo crudelitatem redolens? Et quis dicet herum istis quinque miseris veram domum ingrediendi velle largiri possibilitatem, ipsumque quantum in se est sincere velle ut illi in suam domum intrent? Nonne potius dicendus est eos positive a sua domo excludere? Nonne absurdus esset homo, qui, volens aliquem pauperem e miseria extrahere ipsique honestiorem ac commodiorem parare vitam, doceret ipsum artem architectonicam, ut sic construendo ædificia posset sibi, ad meliorem vitam ducendam, necessariam quærere pecuniam, sed simul absolute nollet ipsi præbere lapides cæteraque ad actu construendum omnino requisita, quæque solus ipsi dare potest? Quis dicet istum pauperem vere sufficientem perveniendi ad commodiorem conditionem accepisse potentiam? Et quis dabit talem hominem sincere et quantum in se est velle ut iste pauper ad meliorem vitam perveniat? Pari autem omnino modo se gerere videtur Deus erga illos, quos antecedenter et absolute excludit ab electione efficaci seu a gratia prædeterminante, sine qua infirma nostra natura recte agere ac salutem assequi non valet, et consequenter in ista hypothesi

dici nequit ipsum ante prævisam culpam sincere et quantum in se est eorum velle salutem.

Agnoscant igitur omnes defensores prædestinationis absolute antecedentis cum antiquioribus Thomistis, Deum eo ipso quod aliquos elegit ad gloriam cæteros omnes ab ea exclusisse, et dicant consequenter cum ipsis voluntatem Dei salutiferam esse antecedentem tantum ad considerationem prædefinitæ pulchritudinis universi ac manifestationis attributorum Dei. Sed tunc jam manifeste recedunt a doctrina S. Thomæ, qui toties inculcat Deum omnes homines ante prævisam eorum culpam serio velle salvare, videantque simul ne in antecedentem reprobationem positivam impingant, nam in præsenti statu elevationis naturæ humanæ ad finem supernaturalem exclusio a visione beatifica est ipsa gravissima pœna damni.

Concludimus itaque ex prolixa hac argumentatione reprobationem negativam cum antecedenti prædestinatione necessario consertam, quocunque modo intelligatur, realiter esse exclusionem a gloria cœlesti et consequenter non posse conciliari cum universali voluntate salvifica qualem tradit S. Thomas.

Ut magis prædestinationis antecedentis ac universalis voluntatis salvificæ appareat repugnantia, duo alia breviter adjungimus argumenta generalia in sequentem modum.

1. Antecedens prædestinatio ad gloriam est decretum immutabile, quo Deus ante omnem præscientiam actuum creaturarum determinat omnes et solos actu salvandos, quodque ab ipso solo infallibiliter exsecutioni mandari potest. Istud decretum duplicem Deo, si ita loqui fas est, imponit obligationem, unam efficaciter perducendi ad gloriam omnes sic prædestinatos, alteram omnes alios arcendi a cœlesti patria seu cavendi ne unus ex illis eam ingrediatur, nisi enim hoc ageret mutaret decretum, quod ipse immutabiliter constituit. Debet igitur Deus vi istius decreti omnes non

prædestinatos ita dirigere ut infallibiliter pereant, et si ipsis confert gratias, tales dare debet, cum quibus prævidet eos non perventuros ad salutem, talesque negare cum quibus finalem eorum perseverantiam conjunctam fore videt, debet ergo ipsis saltem finaliter dare gratias tantum sufficientes et quidem *ut sufficientes*. Jamvero hoc manifeste repugnat voluntati Dei sinceræ ac prosecutivæ salutis omnium hominum, qui enim aliquem vult ita dirigere ut infallibiliter pereat, qui ipsi vult dare gratias sufficientes tantum ut sufficientes, sane non prosequitur illius salutem sed magis ipsi insidiari dicendus est. Illustrationis gratia redeamus iterum ad decem nostros infirmos, ex quibus, ante prævisam eorum bonam vel malam voluntatem, quinque nominatim ac absolute sunt electi ut soli efficaciter perducendi in domum. Quid agere debet herus ut suam absolutam et immutabilem voluntatem exsecutioni mandet? Debet utique quinque illos electos non solum vocare ad domum, sed insuper ipsis præstare physicum adjutorium, ad ingressum absolute necessarium, ut sic suo brachio erecti ac sustentati ad locum ipsis destinatum infallibiliter perveniant. Aliis vero quinque non electis, si illos nihilominus vocare ac invitare vult, debet absolute negare physicum illud adjumentum, ne eo suffulti ad domum perveniant; et si ipsis manum tendere vult eosque pro momento erigere, debet tamen, priusquam ad domum pervenerint, suam manum retrahere, ne in locum ipsis non paratum adveniant. Quis non videt talem vocationem ac invitationem non esse sinceram sed potius inanem et simulatam? Et nonne absurde diceretur illum herum sincere et quantum in se est velle, ut isti quinque miserabiles intrent in gaudium suæ domus?

2. Si Deus antecedenter ad prævisa hominum peccata ponit actum, ex quo sequitur plures homines non posse actu salvari, *nullam* amplius in eodem signo habere potest voluntatem ut isti salventur. Atqui gratuite prædestinando ad

gloriam tantum aliquos Deus ponit actum, ex quo sequitur cæteros omnes ante quamcunque ipsorum culpam non posse actu salvari. Ergo gratuita prædestinatio ad gloriam non potest componi cum sincera voluntate Dei ut omnes homines salventur.

*Major* videtur evidens. Etenim voluntas salvifica est talis voluntas, qua Deus sincere et quantum in se est vult *ipsam* omnium hominum *salutem,* non quidem absolute sed conditionate, nisi scilicet homines largitati divinæ misericordiæ resistentes se ipsos a consecutione salutis libere impediant. Terminatur igitur ista voluntas ad ipsam salutem non vero ad quamdam abstractam tantum salutis possibilitatem, quinimo illa voluntas, respiciens immediate ipsam omnium hominum beatitudinem, est principium, ex quo sequitur, uti docet S. Thomas, quod Deus omnibus veram salutis consequendæ possibilitatem largiri velit (1). Ex hac certissima voluntatis salvificæ notione evidenter liquet eam eliminari omni actu a Deo ante quamvis culpam prævisam concepto, ex quo sequatur aliquos homines non posse actu salvari.

*Probatur minor.* Qui non potest prædestinari non potest

(1) In hoc hallucinari videntur propugnatores gratuitæ ad gloriam seorsim sumptam prædestinationis, quod non satis, ut nobis videtur, considerant voluntatem Dei salvificam, ut respicientem *ipsam* hominum *salutem actu consequendam.* Talis tamen est voluntas salutifera, quam inculcat Apostolus I ad Tim. II, 4 dicens : « Qui (Deus) omnes homines vult *salvos fieri,* » quam clamant Patres, quam docent Theologi Dummodo enim germana hæc voluntatis salutiferæ retineatur notio, impossibile est admittere in Deo voluntatem, antecedenter ad creaturarum actus absolute discernentem partem humani generis solam actu salvandam, nam nimis evidens est eo ipso in Deo *nullam* amplius esse posse voluntatem actu salvandi alteram hominum partem. Si vero conciperetur Deus eatenus tantum velle omnes homines salvare, quatenus omnibus saltem quamdam *abstractam* salutis possibilitatem vult largiri, ex qua tamen ipsa salus æterna actu sequi nequit, tali voluntati utique non officeret gratuita aliquorum tantum ad gloriam prædestinatio, utpote respiciens solam discretionem relate ad actualem salutis consecutionem.

salvari, soli enim prædestinati salvantur et nullus nisi prædestinatus, uti communiter docent Theologi, potest actu consequi æternam beatitudinem. Si autem unica tantum datur prædestinatio eaque ab uno Deo pendens tota absolvitur ante omnem præscientiam actuum creaturarum, omnis qui non comprehenditur in hac prædestinatione evidenter non potest prædestinari et consequenter non potest salvari, idque antequam ullam culpam admiserit. Atqui omnes non comprehensi non possunt prædestinari ac proinde non possunt salvari, *quia* Deus omnes prædestinandos seu omnes salvandos immutabiliter ad gloriam elegit ante quoscunque prævisos hominum actus. Deus igitur gratuite prædestinando ad gloriam tantum aliquos ponit actum, et quidem uti patet advertenter, ex quo sequitur cæteros omnes ante quamcunque ipsorum culpam non posse salvari et consequenter *nullam* amplius in eo signo habere potest voluntatem ut isti salventur. Gratuita ergo prædestinatio ad gloriam manifeste repugnat sinceræ Dei voluntati ut omnes homines salvi fiant.

Ex his omnibus fidenter concludimus antecedentem prædestinationem ad gloriam repugnare universali Dei voluntati salutiferæ, qualem tradit S. Thomas, atque ex hac conclusione jure vereque inferimus Angelicum Doctorem talem prædestinationem docere nequivisse.

Quomodo enim tantus Doctor, qui fuse ac clarissime, uti vidimus, voluntatem salvificam antecedentem ac consequentem explicat, istam repugnantiam, quæ illico oculos percellit, non detegisset? Cur S. Thomas nullam invenit difficultatem in conciliando prædestinationem cum voluntate Dei salutifera, utramque facillime componens unico verbo, distinguendo scilicet voluntatem antecedentem et consequentem? Imo hæc ipsa responsio ostendit eum non agnovisse omnino gratuitam prædestinationem ad gloriam, cum eam referat ad voluntatem consequentem « *quæ respicit*

*opera.* » Sane si antecedentem prædestinationem ad gloriam admisisset necessario in ista conciliatione saltem magnam difficultatem experiri eamque uberiori explicatione solvere debuisset.

Sed forte quis huic consequentiæ sequens opponit præjudicium. Si repugnantia inter gratuitam prædestinationem ad gloriam et universalem voluntatem salvificam est tam manifesta, cur eam non viderunt tot insignes Theologi qui utramque profitentur?

Ut hoc præjudicium, quod prima fronte aliquam speciem præ se ferre videtur, plene diluatur sequentia animadvertimus.

1. Plerique ex defensoribus gratuitæ electionis ad gloriam seorsim sumptam, ut hanc suam doctrinam aliaque cum ea nexa capita de gratia efficaci ab intrinseco etc. cum doctrina catholica de antecedente voluntate salutis omnium hominum conciliarent, voluntatis salutiferæ antecedentis et consequentis explicationem adoptarunt aliam atque illam, quam ex S. Thoma supra collegimus. « Thomistæ fatentur quidem Deum non velle homines salvos facere nisi volentes, volitione tamen, non quam ab eis expectat, sed quam in eis ipsemet vi gratiæ suæ (ab intrinseco efficacis) operatur. Unde non volunt voluntatem Dei sic esse conditionatam quasi pendeat ab ista volitione tamquam conditione, cum ipse eam quando vult operatur; *sed dicunt esse conditionatam hoc sensu, si nempe non obstet majus bonum, puta, decor universi, mutabilitas arbitrii; ratio providentiæ universalis, manifestatio attributorum etc.* » Billuart, de Deo, Diss. 7, Art. 6, § 1 in fine. Loquuntur autem de ordine universi prout hujus unica causa Deus est, non prout ei adjunguntur opera libera creaturarum, secus enim conditio, in universali voluntate salvifica contenta, ultimatim ad ista libera reduceretur opera, quod nullatenus admittunt illi Auctores. Quod vero isti Theologi nullam videant repug-

nantiam inter suam doctrinam de prædestinatione et universalem voluntatem salvandi ita explicatam, neutiquam nostro corollario creat præjudicium, quia in illo supponimus universalem voluntatem salvificam seriam et actuosam, qualem eam S. Thomam docuisse demonstravimus. Hinc etiam :

*a*) Plures ex illis Theologis uti Alvarez, Gonet eorumque sectatores concedunt imo contendunt, uti supra vidimus, Deum in eodem signo rationis, in quo aliquos eligit ad gloriam, omnes alios positive excludere a gloria, adeoque *velle ut illi omnes non salventur.* Concedunt igitur hi Auctores, Deum erga non electos, antecedenter ad prævisam quamcunque eorum culpam (saltem personalem), non habere veram ac propriam voluntatem eos salvandi, sed tantum quamdam velleitatem. « Si consideretur salus reproborum secundum se et absolute sic est a Deo volita; si autem consideratur, ut habet conjunctam privationem aut carentiam majoris boni, videlicet boni universalis providentiæ divinæ, pulchritudinis universi, manifestationis justitiæ in reprobis et majoris splendoris misericordiæ ejus in electis, sic non est volita a Deo. Et secundum hoc asserimus quod voluntate consequente Deus non velit omnes salvos fieri, sed solos prædestinatos. » « Voluntas antecedens importat formaliter in Deo actum conditionatum, quo *vellet* salutem omnium, nisi ex hoc impediretur pulchritudo universi et bonum universale justitiæ et misericordiæ. » Alvarez, de Auxil. Disp. XXXIV. « Dico igitur voluntatem antecedentem salvandi omnes homines non dici conditionatam ex eo quod... sed quia importat actum conditionatum, quo Deus *vellet* salutem omnium hominum nisi hoc repugnaret ordini suæ providentiæ et nisi ex hoc impediretur bonum universale suæ justitiæ et manifestatio suorum attributorum. » Gonet, Clyp. Theol. Thomist. Tom. I, Tract. 4, Art. 1, § 1, n. 4. Nedum igitur hi Theologi nostro corollario aliquod præju-

dicium faciant, ipsi e contra sua explicatione validum addunt suffragium.

*b*) Recentiores quidem Thomistæ, uti Goudin, Billuart et alii contendunt, cum gratuita aliquorum electione ad gloriam consistere veram propriamque voluntatem antecedentem salvandi non electos, sensu tamen paulo supra exposito intellectam, atque Deum in illo signo rationis solum velle permittere, ut non electi a salute deficiant, cum qua voluntate manere putant in Deo voluntatem seriam salvandi eos quantum in se est. Quomodo igitur doctissimi hi Theologi non viderunt, ex gratuita electione aliquorum ad gloriam sequi in eodem signo rationis voluntatem non salvandi omnes alios, aut saltem ista voluntate antecedenter ad omnem præscientiam absolute permittendi deficientiam a gloria eliminari omnem voluntatem seriam salutis? Imprimis illis opponimus antiquiores Thomistas Alvarez, Gonet aliosque, qui optime viderunt cum gratuita electione aliquorum ad gloriam necessario consertam esse aliorum exclusionem a gloria seu voluntatem non salvandi. Deinde cum isti Theologi totum systema Thomisticum, a quo prædestinatio gratuita gloriæ, quin ex integro ruat, divelli nequit, jam elaboratum acciperent velut doctrinam, pro qua tamquam « pro aris et focis, » ut ait ipse Billuart (1), decertarent, obvia quædam suppetit ratio ad explicandum, qui fieri potuerit, ut laudati Theologi non viderint repugnantiam, quam nos adesse dicimus inter voluntatem Dei seriam salvandi omnes et gratuitam omnium salvandorum electionem ad gloriam. Quando enim alicui quoddam doctrinæ caput conciliandum venit cum integro aliquo systemate, cujus veritatem jam sibi omnino persuasam habet, fieri solet, ut eam doctrinam qualicumque demum explicatione suo systemati accommodare studeat et, licet cæteroquin doctissimus et oculatis-

(1) L. c. Diss. 9, Art. 5, § 2.

simus, minime persentiat vim argumenti, quod ex tali doctrina contra ipsius systema urgent adversarii. Cæterum generatim ex eo, quod fervescente jam de oppositis systematibus controversia, propugnatores alterutrius systematis protestentur se non videre vim eorum, quæ ipsis objiciuntur, non magnum contra unam alteramve partem peti potest præjudicium.

3. Quod ad Suarez attinet, qui universalem voluntatem salvificam antecedentem ac conditionatam, qualem tradit S. Thomas, nobiscum plene profitetur; ipsius systema de gratuita prædestinatione ad gloriam tam incohærens apparet, ut mirum revera sit quomodo iste Theologus illud docere potuerit, et ejus auctoritas contra nos urgeri nequeat. Cf. Cardin. Franzelin, de Deo uno, Thes. 55.

Hucusque igitur demonstravimus ex repugnantia omnino gratuitæ prædestinationis ad gloriam et universalis voluntatis salutiferæ, S. Thomam non potuisse docere absolute antecedentem electionem ad gloriam. Si quis nihilominus respuat illud argumentum, quod tamen videtur plane stringens, ipsi proponimus alterum, quod simplicitate simul ac perspicuitate sese commendat.

II. Desumimus hoc argumentum, uti initio præsentis paragraphi monuimus, ex simplici analysi doctrinæ S. Thomæ de voluntate Dei salvifica.

Juxta doctrinam Angelici Doctoris, superius a nobis fuse expositam ac vindicatam, antecedens voluntas Dei salvandi omnes homines, licet non plane inefficax et sterilis sed sincera et operosa, quatenus nempe, ut ait S. Doctor in 1, Dist. 46, q. 1, a. 1 in corp., « hujus voluntatis effectus est ipse ordo naturæ in finem salutis et promoventia in finem omnibus communiter proposita, tam naturalia quam gratuita, » *relate tamen ad ipsam salutem in se est inefficax.* Est enim juxta Aquinatem universalis ac conditionata estque voluntas quæ non semper impletur, uti expresse docet l. c.

Dist. 47, q. 1, a. 2 in corp. dicens : « oppositum ejus, quod vult (Deus) voluntate antecedente fieri potest, cum non semper impleatur. » Prædestinatio autem ad gloriam, cum sit voluntas absolute ac efficaciter respiciens ipsam salutem, in mente S. Thomæ evidenter non ad hanc voluntatem antecedentem sed ad voluntatem consequentem salvandi est referenda, quod etiam expresse inculcat Doctor noster l. c. Dist. 41, q. 1, a. 3 ad 5 : « in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera. » Hæc concedunt ac nobiscum profitentur Adversarii, imo et Suarez (de Divina substantia ejusque Attributis Lib. III, cap. 8, nº 8), licet ipse prædestinationem ad voluntatem antecedentem referat.

Atqui voluntas consequens salvandi juxta S. Thomam supponit præscientiam operum, quod supra a nobis uberrime ostensum est, quodque ipsum verbis proxime allatis iterum explicite affirmare vidimus.

Ergo etiam prædestinatio ad gloriam seorsim sumptam supponit præscientiam operum, et consequenter manifestum est Angelicum electionem in salutem ante omnem præscientiam meritorum docere nequivisse. Non video quid responderi posset ad hoc breve argumentum, quod indirectum simul et directum haberi potest, nisi quis negaret eam esse Aquinatis de voluntate Dei salutifera doctrinam, quam superius ex ipsius scriptis collegimus, quod autem quam manifestum sit ex ibidem disputatis abunde liquet.

Concludimus itaque S. Thomam non potuisse docere omnino gratuitam electionem ad gloriam, hocque præjacto fundamento tuto accedimus ad secundam dissertationis partem, quæ explicationem continebit doctrinæ ejusdem S. Doctoris de ipsa prædestinatione.

# PARS SECUNDA.

## De doctrina S. Thomæ de Prædestinatione gloriæ seorsum sumptæ.

### STATUS QUÆSTIONIS. PRÆNOTANDA.

Priusquam ad exponendam S. Thomæ de prædestinatione doctrinam progredimur, accuratum statum controversiæ paucis recolamus oportet. In animo enim nobis non est, totam ac integram Aquinatis de prædestinatione proponere doctrinam, sed unice intendimus indagare, quid senserit Angelicus Doctor *de electione ad gloriam seorsum sumptam*, de qua in scholis catholicis jam diu celeberrima viget controversia. Non exquirimus itaque ex professo sententiam S. Doctoris de prædestinatione, quatenus ea spectatur vel incomplete ad primam gratiam vel complete ad totam seriem beneficiorum supernaturalium gratiæ simul et gloriæ, cum de hoc inter Theologos catholicos nulla sit disceptatio, sed omnes uno ore cum Ecclesia catholica fide profiteantur, utramque haud secus ac primam gratiam prorsus gratuitam esse. Clarissimus igitur ac simplicissimus status quæstionis hic est : utrum apud Angelicum adultorum prædestinatio ad gloriam seorsum spectatam sit antecedens vel consequens prævisionem meritorum supernaturalium. Censemus autem ex doctrina S. Thomæ deduci, eam esse ex voluntate Dei consequente, quæ supponit merita supernaturalia prævisa tamquam rationem prædestinationis ad gloriam, non quidem, uti patet, entitative sed terminative sumptæ. Vix enim ne-

cesse erit monere, quando dicimus merita supernaturalia prævisa esse rationem prædestinationis ad gloriam, non significari illa esse rationem ipsius actus divini in se spectati, quippe qui, cum realiter sit ipsa divina essentia, nullam extra Deum habere possit causam, sed unice indicari ea esse causam meritoriam prædestinationis terminative sumptæ seu effectus sub et quatenus sub prædestinatione connotati. Nam, ut ait S. Thomas 1, q. 23, a. 5 in corp. : « nullus fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Sed hoc sub quæstione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam. » Totum proinde argumentum hujus secundæ partis erit : ostendere ex doctrina S. Thomæ deduci prædestinationem incompletam gloriæ terminative sumptam esse ex prævisis meritis supernaturalibus. Ut autem ad hanc interpretationem viam nobis muniamus, quædam breviter præmittere juvabit.

I. S. Thomam non ita clare docuisse prædestinationem gloriæ antecedentem prævisionem meritorum supernaturalium jam præjudicari potest :

1. Ex eo, quod generali disceptationi de prædestinatione incompleta ad gloriam constanter quoque juncta fuerit controversia de mente Angelici Doctoris, ipsumque contrariam tenuisse sententiam non pauci insignes senserint Theologi, inter quos Card. Franzelin de Deo uno Thes. 64 et, quos ipse ibidem nominat, Gregorius de Valentia in 1, q. 23, Puncto 4, § 5; Gamachæus in h. l. S. Thomæ, c. 7; Petrus de Comitibus Augustiniensis de Prædest. et Reprob. disp. 3, a. 8.

2. Ex ipso modo agendi illorum Theologorum, qui antecedentem electionem ad gloriam tuentur. Quando enim isti Auctores explicant reprobationem negativam, cum antecedente prædestinatione indivulse connexam, in diversas, uti vidimus, abeunt sententias. Alii cum Alvarez eam reponunt

in *positiva exclusione a gloria* tamquam a beneficio indebito, facta ante prævisionem etiam originalis peccati; alii, uti Gonet ejusque sequaces, censent hominum exclusionem a gloria, in qua et ipsi reprobationem negativam sitam esse docent, factam esse quidem ante præscita singulorum peccata personalia, *in pœnam tamen originalis culpæ;* alii tandem, inter quos Goudin et Billuart, reprobationem negativam dicunt esse *voluntatem Dei, antecedentem prævisionem peccati, permittendi ut omnes non prædestinati sua culpa a gloria deficiant.* Quantumvis sint diversæ hæ antecedentis reprobationis negativæ acceptiones, cujusque tamen sententiæ Patroni gloriantur patrocinio S. Thomæ. Dum enim vetustiores Thomistæ suam explicationem, quæ sola logice videtur cohærere cum antecedente prædestinatione gloriæ, Aquinatis doctrinæ manifeste conformem esse putant, recentiores eam a mente S. Doctoris prorsus alienam esse, ejusque in scriptis Angelici nullum vestigium comparere dicunt (1). « Nos vero, ait Billuart de Deo Diss. 9, Art. 9, § 2, hujusmodi reprobationem negativam (exclusionem a gloria) non agnoscimus, *cujus ne vestigium reperimus in S. Thoma*, eamque duriorem arbitramur. » Hæc ipsorum Thomistarum inter se disceptatio, ab una parte satis superque ostendit, Angelicum Doctorem defensoribus antecedentis prædestinationis ad gloriam non ita clare præmonstrasse viam, et ab altera parte nos monet, ad assequendam genuinam S. Thomæ in hac re sententiam non satis esse provocare ad quosdam separatos textus, sed necessario attendendum esse S. Doctoris tum generalem tum particularem in singulis locis disputandi modum.

II. Non modo præjudicari potest S. Thomam prædestinationi gloriæ post prævisa merita supernaturalia non clare

(1) Cf. Limbourg, Zeitschrift für katholische Theologie. Innsbruck. 1879, p. 213 et p. 222 in nota 3ª.

adversari, sed imo illi potius favere aliquatenus præsumi potest et quidem duplicem ob rationem.

1. Cum enim ex doctrina catholica vita æterna adultis conferatur tamquam merces ac præmium propter merita supernaturalia, natura rei postulare videtur, ut etiam in ordine absolutæ intentionis nulli adulto præstituatur assequenda ante prævisa ipsius bona merita, nisi aliunde aliquid evidenter obstet. Jam vero huic æqualitati ordinis collationis et absolutæ intentionis gloriæ nihil evidenter obstat neque ex parte revelationis neque ex parte rationis.

Et primo quidem nihil obstat ex parte revelationis. Præterquam enim quod ex fontibus revelationis plura afferri possunt testimonia, quæ omnino favere videntur prædestinationi gloriæ post prævisa merita supernaturalia, ea loca, quæ pro adversa sententia adduci solent, inspectis singulis textibus eorumque contextibus, congruam aliique sententiæ minime adversantem explicationem accipiunt. Præter autem hoc explicationis fundamentum particulare, ex singulis textibus eorumque contextibus desumptum, duplex datur fundamentum generale, quo sententia de prædestinatione ad gloriam post prævisa merita firmissime fulcitur, doctrina nempe de universali voluntate salvifica seria et actuosa, ex ipsis fontibus revelationis certissima, et dogma de retributione gloriæ tamquam præmii propter merita supernaturalia. Quæ duo doctrinæ capita, cum difficile tantum componi queant cum prædestinatione ad gloriam omnino gratuita, ut hæc admittatur merito postulantur testimonia clarissima, quæ nullam aliam congruam explicationem recipiunt. Quamdiu talia non afferuntur istam opinionem jure repellimus, utpote non satis probatam ac minus conformem aliis principiis ex revelatione certissimis, rectaque in Theologia procedendi ratio postulat, ut eam amplectamur, quæ hisce principiis plene consentit.

Secundo nihil quoque obstat ex parte rationis. Quod enim

tantopere urgent Adversarii ex ordine mediorum ad finem, multiplici ex parte omnino infirmum ac labile apparet. Finem esse prius intentum seu potius volitum quam media ad eum sane nemo negabit, sed infitiamur inde consequi gloriam pro adultis esse prius a Deo absolute volitam quam media, quæ ipsos ad vitam æternam efficaciter perducunt. Ut appareat quam perperam istud principium philosophicum adducatur ad probandam prædestinationem gloriæ ante prævisa merita supernaturalia, sufficit penitius inspicere rationem, in qua illud fundatur. Ratio autem hæc desumitur ex natura voluntatis. Voluntas enim est facultas appetitiva boni, bonum igitur est objectum proprium voluntatis, quod movet eam, cujus proinde motus est tendentia in bonum. Quod igitur non habet rationem boni respectu alicujus voluntatis, nisi in quantum conducit ad assequendum aliud quod est per se bonum, non potest per se ipsum movere hanc voluntatem, sed tota vis motiva est in illo alio ex quo suam bonitatem mutuatur. Illud proinde non potest appeti a tali voluntate nisi sub hac ratione et consequenter non nisi vi appetitus, quo fertur voluntas in id quod est per se bonum. Cum finis autem sit illud quod habet in se rationem boni, media vero ut talia non habeant rationem boni respectu voluntatis nisi quatenus conducunt ad finem, evidens est ex ipsa natura voluntatis totam vim motivam esse in fine adeoque voluntatem non nisi vi appetitus, quo movetur in finem, posse moveri ad appetenda media. Totus ergo motus voluntatis in media qua talia derivatur ex ipsius motu in finem et consequenter in ordine intentionis finis est prius volitus quam media ad eum. Patet itaque præfatum axioma proprio ac pleno sensu tantum valere pro iis quæ se unice respiciunt ut finis et media. Quando vero finis est talis naturæ, ut in se et independenter a mediis non habeat totam rationem boni, quæ ipsi inesse debet ut sit vere talis finis, sed ut aliquam bonitatem accipere debeat ab ipsis mediis, nemo

non videt jam non agi simpliciter de fine ac mediis et proinde non nisi perperam quæ de illis valent sine ullo delectu huc transferri. Etiamsi igitur generatim verum esset in volitione eorum, quæ se respiciunt unice ut finis et media, intentionem absolutam finis præcedere volitionem mediorum efficacium, perperam tamen inde quis concluderet idem obtinere pro iis quæ se non unice respiciunt ut finis et media. Imo cum in hoc ultimo casu finis sit talis naturæ, qui non habeat ex se et independenter a mediis omnem bonitatem, quæ requiritur ut sit talis finis, nec proinde habeat ex se et independenter a mediis totam vim motivam, quique e contra acquirere debeat formalem bonitatem qua constituatur talis finis ab ipsis mediis utpote continentibus verum motivum ejus, quisque facile intelligit naturam rerum potius exigere, ut voluntas non absolute velit talem finem nisi suppositis illis, quæ non modo ad meram ejus exsecutionem sed etiam ad illum in sua formali bonitate constituendum prærequiruntur.

Jam vero talia sunt respectu Dei gloria æterna adultorum et bona eorum opera quæ tamquam media ad illam prærequiruntur. Etenim vita æterna est homini adulto a Deo præstituta tamquam finis quidem sed ex ordine divinæ sapientiæ nonnisi propter bona merita conferenda, estque proinde finis simul ac merces et præmium. Similiter bona opera hominum respectu Dei non sunt simpliciter media, ad istum conferendum requisita, sed sunt simul motiva, sunt merita continentia intrinsecam bonitatem ac dignitatem, ex qua redundat in ipsum finem formalis illa bonitas quam ipsi inesse voluit divina sapientia. Gloria æterna itaque est quidem bonum quod Deus hominibus adultis finaliter vult adeoque ut finem, sed quod ipsis vult non ut mere terminans vitam qualemcunque sed ut coronans vitam meritoriam. Hac divina ordinatione supposita gloria conferenda adulto non jam est simpliciter finis ipsi dandus a Deo per media et

habens pro divina voluntate totam suam bonitatem independenter a mediis, sed est finis talis naturæ ut ex liberis meritis debeat illi accedere formalis bonitas justæ retributionis, ut sic conformis sit ordinationi divinæ supremæ regulæ bonitatis. Hinc omnis voluntas Dei respiciens talem finem necessario pendet (sane objective tantum seu terminative) a meritis, imperfecta quidem ac conditionata voluntas a meritis conditionatis, perfecta vero et absoluta a meritis absolutis. Non enim objectum aliquod acquirit suam bonitatem nec proinde vim intrinsecam movendi a voluntate intendente qua tali, sed ipsa hæc bonitas objecto inesse præsupponitur voluntatis motioni in illud. Quæ si quis attente considerat haud dubito quin nobiscum fateatur nullius ponderis esse illam rationem fundamentalem, quæ ad probandam gratuitam prædestinationem gloriæ tantopere urgeri solet; imo, si principium cui innitur in præsenti re aliquid valet, illud, inspecta ejus ratione intrinseca, potius probare contrarium. Tota vis, quam Adversarii in illo principio se deprehendere putant, nititur confusioni rerum. Sane si fas esset in quacunque re pro libito considerare tantum quod ad nostrum propositum facit, facili negotio uno eodemque principio de eadem re possemus probare assertiones omnino contradictorias.

Ne tamen ex instituta argumentatione alicui videatur consequi, neque nos ordinata voluntate posse prius absolute intendere gloriam quam merita, notetur discrimen quod intercedit inter gloriam adulti relatam ad voluntatem divinam atque eamdem gloriam quatenus ad ipsius adulti voluntatem refertur. Gloria respectu ipsius hominis est finis sibi proprius, est suprema sua beatitudo, quæ in se et ex se respectu humanæ voluntatis continet perfectam rationem boni. Est quidem etiam pro ipso præmium, sed hæc formalis ratio præmii respectu voluntatis accipientis non addit novam bonitatem neque adeo novam vim motivam, nam pro ipso

gloria habet totam suam appetibilitatem ex eo quod est ipsius finis atque suprema beatitudo et ratio præmii est respectu ipsius aliquid extrinsecum. Similiter merita respectu ipsius hominis sunt simpliciter media ad illum finem nullatenus vero motiva gloriæ constituuntque pro ipso meram exsecutionem seu assecutionem salutis æternæ. Respectu vero Dei gloria adulti non est finis proprius sed alienus estque præmium a seipso conferendum alii propter ejus merita. Hinc formalis ratio bonitatis, sub qua gloria adulti refertur ad voluntatem divinam, est ratio præmii dandi alteri, quæ ratio bonitatis essentialiter pendet a meritis, continentibus respectu voluntatis conferentis motivum præmii. Hoc discrimine attento facile intelligitur, quomodo natura gloriæ adulti, supposita ordinatione divina dandi illam per modum præmii, postulet quidem, ut a Deo non absolute intendatur ante prævisa merita, non item vero, ut etiam ab ipso homine non nisi post merita intendatur.

Natura rei itaque postulare videtur, ut Deus etiam in ordine intentionis nulli adulto absolute velit gloriam nisi prævisis ejus bonis meritis; quisque autem præsumitur tradere doctrinam, quæ magis videtur congruere naturæ rei donec probetur contrarium, hinc ex ipsa natura rei aliqualis jam adest præsumptio pro nostra S. Thomæ explicatione.

2. Major ac validior præsumptio desumitur ex Angelici lucidissima doctrina de termino, præ quo voluntas salvifica antecedens ac consequens dicitur, in prima dissertationis parte fuse a nobis exposita. Quomodo enim ex ista doctrina sponte fluere videatur prædestinatio gloriæ consequens merita supernaturalia prævisa, ibidem abunde prosecuti sumus.

III. Ad assequendam veram et genuinam S. Thomæ de prædestinatione incompleta ad gloriam sententiam maxime attendendus venit modus, quo S. Doctor de prædestinatione disserere solet. More autem veterum Theologorum Doctor noster prædestinationem solet considerare completam, qua-

tenus se porrigit ad totam seriem beneficiorum supernaturalium gratiæ simul ac gloriæ in complexu spectatam. Quisquis enim vel obiter inspexerit loca, in quibus Aquinas suam de prædestinatione doctrinam copiosius evolvit, ultro fatebitur ipsum eam complete spectare consuevisse, ipsumque illam semper hoc sensu intelligere, quoties loquitur de ea simpliciter sumpta sine ulteriori determinatione. Hoc in primis liquet ex ipsa definitione, a qua suam expositionem exorditur Angelicus tum in quæstione 23 P. I, tum in quæstione 6 de Veritate, tum in distinctione 40 in 1 L. Sent. Etenim 1, q. 23, a. 1 in corp. eam clarissime definit : « *ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ prædestinatio nominatur.* » Eodem prorsus modo de Veritate q. 6, a. 1 in corp. eam dicit esse directionem completam creaturæ rationalis in vitam æternam, ipsam finis assecutionem simul complectentem, « *unde,* concludit ibidem, *prædestinationi duo effectus assignantur, scilicet gratia et gloria.* » Similiter in 1, Dist. 40, q. 1, a. 1, postquam in corpore dixerat prædestinationem esse actum divinum ex quo in tempore consequitur gratia et gloria, ad 4 ait : « ut significetur respectus æterni ad temporale, *gratia et gloria in definitione prædestinationis ponitur.* » Ex his plane manifestum est Angelicum Doctorem semper intelligere prædestinationem completam, quoties loquitur de ea simpliciter nulla addita restrictione. Quando enim aliquis auctor accurate determinat ac definit notionem rei tractandæ, omnia, quæ in decursu tractationis de ea affirmat eique attribuit, de illa re dicta accipiantur oportet prout ab auctore fuit descripta ac determinata, nisi ipsemet contrarium clare indicet. Quam certum sit in scriptis S. Thomæ prædestinationem simpliciter dictam complecti simul omnia beneficia supernaturalia, quæ salvandis a Deo conferuntur in tempore, patet etiam ex lect. 6 in cap. VIII Epist. ad Rom., ubi ipsemet S. Doctor verbis disertissimis hoc declarat. Quærens enim ibidem

utrum dici possit præscientiam meritorum esse rationem prædestinationis ait : « hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis. *Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum.* » Idem alibi (1) pluries repetit atque inculcat Aquinas, ita ut de hoc nullatenus ambigi possit.

Est autem in hoc ipso modo considerandi prædestinationem complete, S. Thomæ solemni, notandum leve quoddam discrimen respiciens magis rationem loquendi quam ipsam rem. Videtur enim aliquando S. Doctor prædestinationem restringere ad dona ipsi prædestinato interna, ali-

(1) Ita in singulis fere articulis quæstionis 23 P. I. Admittit definitionem, adductam ibidem in obj. 4 a. 2, qua « prædestinatio dicitur esse *præparatio gratiæ in præsenti et gloriæ in futuro.* » notans solum gratiam poni in definitione prædestinationis « in quantum prædestinatio importat respectum ad gratiam, ut causæ ad effectum et actus ad objectum. » (a. 2 ad 4); « prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam. » (a. 3 in corp.); « quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu prædestinationis. » (a. 5 in corp.); « super illud (Rom. VIII) : Quos præscivit hos et prædestinavit, etc. dicit glossa : prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur quicumque liberantur. » (a. 6 *sed contra*); « sub ordine prædestinationis cadit quidquid hominem promovet in salutem. » (a 8 in corp.). Similiter de Veritate q. 6 : « in prædestinatione est duo considerare, scilicet ipsam prædestinationem æternam et effectum ejus temporalem duplicem, scilicet gratiam et gloriam. » (a. 2 in corp.); « dicit glossa : prædestinatio est præscientia et præparatio beneficiorum Dei, qua certissime liberantur quicumque liberantur. » (a. 3 *contra* 1). Pariter in Distt. 40 et 41 in 1 L. Sent. : « prædestinatio est non tantum gratiæ sed gratiæ simul et gloriæ. » (Dist. 40. q. 1, a. 2 ad 5); « proprie in illa dicitur prædestinatio, quæ homo ex naturalibus suis consequi non potest, scilicet gratiam et gloriam. » (Ibidem q. 2, art. unic. in corp.); « providentia respectu ipsius boni quod est per consecutionem gratiæ et gloriæ cum præscientia eventus dicitur prædestinatio. » (Ibidem q. 4, a. 1); « prædestinatio attenditur in hoc, quod electis præparantur bona gratiæ et bona gloriæ. » (dist 41, q. 1, a. 2 in corp.) et ita porro. Eadem ratione prædestinationem describit C. G. III, 163 : « secundum quod quosdam ab æterno præordinavit ut dirigendos in ultimum finem dicitur eos prædestinasse. »

quando vero eam extendere ad omnia beneficia tum interna tum externa præter universalem redemptionem per Christum, quibus salus prædestinati promovetur. Primo modo prædestinationem intelligere videtur Angelicus 1, dist. 41, a. 4 : « effectus prædestinationis hoc modo habet adjutorium quo et causam habet... sicut aliquis orando pro aliquo alio meretur ei primam gratiam... Si enim Stephanus pro persecutoribus non orasset forte Paulus salvus non fuisset, sicut si aliquis non faceret opera meritoria non acciperet coronam quæ prædestinata est sibi; nec tamen prædestinatio frustrari potest, quia præscitum est a Deo quod iste tali causa et tali ordine salvabitur. » Similiter 3, q. 1, a. 3 ad 4 : « prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum : et ideo sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati. » Altero modo considerat prædestinationem 1, q. 23, a. 8 in corp. : « ita prædestinatur a Deo salus alicujus, ut etiam sub ordine prædestinationis cadat quidquid hominem promovet in salutem ; vel orationes propriæ vel aliorum vel alia bona vel quidquid hujusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur. » Hoc latiori sensu eam quoque accipere videtur de Veritate q. 6, a. 6. Cf. Franzelin de Deo Uno, Thes. 58.

Est itaque ex traditis hæc regula certissima atque in interpretanda S. Thomæ doctrina sedulo tenenda : *S. Doctor prædestinationem solet spectare complete eamque semper hoc sensu accipit quando loquitur de prædestinatione simpliciter dicta.* Hinc deducimus methodum, quam sequatur oportet quisquis probare vult Doctorem Angelicum docuisse prædestinationem gloriæ seorsum sumptæ ante prævisa merita supernaturalia. Ut hoc probet non sufficit afferre talia testimonia, quibus S. Thomas omnimodam gratuitatem prædestinationis inculcat, sed necesse est demonstrare pro singulis textibus et quidem ex verbis clarissimis, S. Doctorem in illis loqui de

prædestinatione gloriæ seorsum sumptæ. Semper enim præsumitur loqui de prædestinatione completa, adeoque negare tantum merita nostra naturalia esse rationem prædestinationis gratiæ simul ac gloriæ, quæ præsumptio non nisi demonstrationi cedit.

Licet autem S. Thomas prædestinationem soleat considerare complete, eamque semper hoc pleno sensu intelligat quoties loquitur de ea simpliciter dicta, inde tamen minime sequitur ipsum prædestinationem numquam spectare incomplete. Cum enim, uti ex ipso S. Doctore vidimus, prædestinatio dicat respectum ad diversos effectus, qui ex ipsa in tempore consequuntur, nihil impedit quominus, licet in se sit una et indivisa, consideretur minus plene et quatenus se ad unum alterumve effectum tantum porrigit. Quia vero ex una parte prædestinatio dicit in recto ipsum actum divinum et solum in obliquo dona prædestinata (1, dist. 41, q. 1, a. 3), et ab altera parte magis vel minus plena acceptio prædestinationis desumitur ex reali distinctione effectuum, Angelicus, quando prædestinationem spectat minus plene, hoc clare indicat determinando particularem effectum, imo solet tunc in recto ponere ipsum particularem effectum cum adsignificatione actus prædestinantis (cf. 1, q. 23, a. 5; 1, dist. 41, a. 3; Ep. ad Ephes. 1, lect. 1).

IV. Cum S. Thomas in sua de prædestinatione doctrina non solum utatur vocabulo prædestinationis, sed frequenter etiam loquatur de dilectione ac electione divina salvandorum eaque aliquando invicem distinguat, multum interest, ne in interpretatione doctrinæ Angelici fallamur, in antecessum accurate inquirere sensum, quo S. Doctor hæc tria vocabula in negotio salutis usurpet. Quid per prædestinationem intelligat in proxime antecedentibus vidimus, superest modo ut inquiramus, quisnam apud Angelicum sit terminus voluntatis divinæ diligentis ac eligentis, utrum sit idem ac terminus prædestinationis vel diversus ab eo.

Terminus seu objectum generale dilectionis et electionis, quatenus referuntur ad prædestinatos, est salus salvandorum. Dicit enim S. Thomas 1, q. 23, a. 4 in corp. : « Prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem : ad quod pertinet electio et dilectio. Dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ. Nam diligere est velle alicui bonum. Electio autem in quantum bonum aliquibus præ aliis vult. » Salus autem hominis dupliciter potest considerari : vel ut significet salutem perfectam per se et seorsum sumptam, quæ est in vita beata, qua homo in patria ope luminis gloriæ Deo suo per ævum ineffabiliter fruitur, vel potest spectari complete prout in concreto efficitur ac gradatim completur, quatenus nempe jam inchoatur in hac vita per gratiam ac bona merita et perficitur atque completur in altera per gloriam. Salus enim æterna in patria est continuatio supernaturalis conjunctionis hominis cum Deo summo bono, inceptæ in hac mortali vita, hac sola differentia quod est continuatio progrediens de imperfecto in perfectum secundum quod congruit diversæ conditioni stadii viæ ac status termini. Licet itaque conjunctio illa suprema cum Deo in visione beatifica sit salus perfecta et terminus ad quem pervenire et in quo sistere debet homo, salus tamen ejus concreta complete et adæquate spectata complectitur ea omnia quibus efficitur ac gradatim completur conjunctio illa ineffabilis cum Deo, in qua salus creaturæ rationalis consistit. Per se ergo nihil obstat quominus nomine salutis humanæ intelligantur omnia dona salutaria homini a Deo ab æterno præparata et in tempore conferenda ad ejus salutem inchoandam, perficiendam ac tandem complendam. Minus caute igitur procederet atque errori se exponeret ille, qui ex verbis S. Thomæ mox allatis statim concluderet dilectionem ac electionem apud S. Doctorem respicere tantum salvandorum gloriam per se et seorsum sumptam. Si enim volumus

genuinum vocabulorum apud Aquinatem assequi sensum, ulterius inquiramus necesse est, quid ipse nomine salutis, quam respicit dilectio et electio, intelligat. Jam vero dilectionem et electionem, qua Deus aliquorum tantum vult salutem, non solum respicere gloriam cœlestem sed æque ac prædestinationem complecti omnia dona salutaria, quibus salus salvandorum inchoatur ac gradatim perficitur et completur, ipse Angelicus expresse declarat. Sufficiet referre ea quibus S. Doctor assignat terminum electionis, nam eo ipso constat de termino dilectionis quippe quæ, fatente ipso S. Thoma in verbis prolatis, eatenus solum differt ab electione quatenus illa est voluntas communicandi quoddam bonum alicui absolute et sine comparatione cum aliis, hæc vero eadem voluntas communicandi alicui idem bonum addito formali respectu comparationis ad alios, quibus tale bonum non vult.

Electionem non solam respicere gloriam sed gratiam simul et gloriam perspicue docet S. Thomas in ipso illo articulo 4 quæstionis 23 partis 1 ad 1. « Dicendum, ait, quod si consideretur communicatio bonitatis divinæ in communi, absque electione bonitatem suam (Deus) communicat; in quantum scilicet nihil est quod non participet aliquid de bonitate ejus... Sed si consideretur communicatio istius vel illius boni, non absque electione tribuit; quia quædam bona dat aliquibus, quæ non dat aliis. *Et sic in collatione gratiæ et gloriæ attenditur electio.* » Similiter 1, dist. 41, q. 1, a. 2 ad 2 electionem ad dona quoque gratiæ refert dicens : « electio divina non præexigit diversitatem gratiæ, quia hoc electionem consequitur; sed præexigit diversitatem naturæ in divina cognitione *et facit diversitatem gratiæ*, sicut dispositio diversitatem naturæ facit. » Et ibidem ad 3 explicans, quare non idem affirmari possit de electione quod de vocatione, quæ ultima utpote temporalis prædestinationem consequitur, dicit : « est quædam vocatio temporalis *ad gratiam*, cui res-

pondet et electio temporalis et æterna » utique ad gratiam, uti jam ex ipsis verbis per se spectatis manifestum est et ex immediate sequentibus clare patet. Pariter C. G. III, 163, clarissime docet Angelicus, electionem æque ac prædestinationem respicere omnia dona supernaturalia, quibus salvandi homines a Deo ad æternam beatitudinem actu consequendam promoventur. « Quia vero ostensum est, ait, quod divina operatione aliqui diriguntur in ultimum finem per gratiam adjuti, alii vero eodem auxilio gratiæ deserti ab ultimo fine decidunt, omnia autem quæ a Deo aguntur ab æterno per ejus sapientiam provisa et ordinata sunt... necesse est prædictam hominum distinctionem ab æterno a Deo esse ordinatam. Secundum ergo quod quosdam ab æterno præordinavit ut dirigendos in ultimum finem, dicitur eos prædestinasse... Illos autem quibus ab æterno disposuit se gratiam non daturum dicitur reprobasse... *Ratione vero ipsius distinctionis* (completæ scilicet prædictæ), secundum quod quosdam reprobavit et quosdam prædestinavit, *attenditur divina electio*... Quod autem prædestinatio et *electio* causam non habeant potest fieri manifestum... ex hoc quod *gratia Dei*, quæ est prædestinationis effectus, meritis non prævenitur, sed omnia merita præcedit humana. »

Ex his verbis liquet : 1. Electionem haud secus ac prædestinationem apud S. Thomam complecti omnia illa dona Dei, quibus salvandi salutem æternam de facto consequuntur inde a prima gratia usque ad gloriam; nam electio nihil aliud est quam distinctio ab æterno decreta, qua separantur aliqui dirigendi ope gratiæ in ultimum finem ab aliis qui a gratia deserti a salute sunt defecturi. Insuper electio æque ac prædestinatio omnino gratuita est, quia primus ejus effectus nempe gratia omnia merita præcedit.

2. Electionem ac prædestinationem ab Angelico Doctore promiscue usurpari, cum ad eumdem terminum referantur ac differentia non sit nisi in quadam mentis consideratione.

Utraque enim complectitur totum illud quo aliqui in tempore a Deo diriguntur in ultimum finem, electio quidem formaliter ea respicit quatenus iis continetur distinctio quædam ac discretio illorum ab aliis, prædestinatio vero quatenus formaliter denotat directionem ac ordinationem electorum in finem.

Idem esse in re electionem ac prædestinationem et consequenter utramque eumdem respicere terminum diserte quoque profitetur S. Doctor in Ep. ad Ephes. I, lect. 2 : « *Idem est dictu elegit nos et prædestinavit nos*... Est enim duplex electio scilicet præsentis justitiæ et prædestinationis æternæ... Et de hac (prima) Apostolus non intendit hic, quia ista non fuit ante mundi constitutionem, et ideo statim manifestat de qua intelligit, quia de secunda, scilicet de æterna prædestinatione, propter quod dicit : prædestinavit nos etc.»

Dilectionem ac electionem, qua Deus prædestinatorum tantum vult salutem, intelligi a S. Thoma de voluntate salutis in complexu spectatæ, prout in tempore efficitur per gratiam et gloriam, constat tandem ex iis quæ scribit de Verit. q. 6, a. 2. Inquirens enim ibidem in corpore articuli causam prædestinationis præmittit, ad hanc inveniendam videndum esse quodnam sit voluntatis divinæ motivum. Nam « ad inveniendum prædestinationis causam, ait, oportet accipere quod prius dictum est, scilicet quod prædestinatio *est quædam directio in finem quam facit ratio a voluntate mota* : unde secundum hoc potest esse aliquid prædestinationis causa, prout potest esse voluntatis motivum. » Hæc autem voluntas, quæ movet rationem dirigentem in finem, manifeste est voluntas finis seu salutis prout docuerat Angelicus in articulo præcedenti hujus quæstionis, ad quem nos hic remittit. Jam vero hanc voluntatem finis seu salutis in decursu articuli determinans totidem verbis declarat, eam esse voluntatem non solum gloriæ seorsum spectatæ *sed gratiæ simul ac gloriæ* proindeque esse voluntatem salutis in toto suo complexu

sumptæ. In inquirendo enim divinæ voluntatis motivo paulum progressus scribit : « Finis divinæ voluntatis est ipsa ejus bonitas, quæ non dependet ab aliquo alio, unde ad hoc quod habeatur a Deo nullo alio indiget : et ideo voluntas ejus non inclinatur primo ad aliquid faciendum per modum debiti, sed liberaliter tantum, in quantum est bonitas ejus in opere manifesta : sed ex quo supponitur quod Deus aliquid facere velit ex suppositione liberalitatis ipsius, per modum debiti cujusdam sequitur quod faciat ea sine quibus res ipsa volita esse non potest... perfectio autem gratiæ et gloriæ sunt hujusmodi bona, quod sine eis natura esse potest, excedunt enim naturalis virtutis limites : *unde quod velit Deus alicui dare gratiam et gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit,* in his autem quæ ex liberalitate procedunt tantum causa volendi est ipsa superabundans affectio volentis ad finem, in quo attenditur perfectio bonitatis ipsius, unde causa prædestinationis nihil est aliud quam bonitas ipsius Dei. »

Constat itaque ex multiplici ac disertissima declaratione ipsius S. Thomæ, dilectionem ac electionem apud S. Doctorem non respicere tantum salutem quatenus confertur per gloriam, sed referri ad salutem quatenus in complexu spectata efficitur ac completur per gratiam et gloriam.

His præmissis ad inquirendam Aquinatis doctrinam de prædestinatione gloriæ seorsum sumptæ gressum facimus. Cum autem agatur de re controversa, in duobus distinctis capitibus hoc præstare conabimur. In primo capite ex Angelico proferemus ea, quibus nostra interpretatio fulcitur ac probatur, in altero vero expendemus illa, quæ ex eodem S. Doctore contra hanc interpretationem afferri possunt. Caput primum in duos dividimus paragraphos, in quorum primo ostendemus S. Thomam agnovisse principium æqualitatis ordinis prædestinationis et exsecutionis salutis, in altero exponemus alia Angelici doctrinæ capita et diserta

testimonia, quibus docet prædestinationem gloriæ seorsum sumptæ post ac propter prævisa merita supernaturalia factam esse.

## CAPUT I.

### S. THOMAS DOCET PRÆDESTINATIONEM GLORIÆ PER SE ET SEORSUM SUMPTÆ FACTAM ESSE POST PRÆVISA MERITA SUPERNATURALIA.

### § 1. *Tradit hanc doctrinam implicite in principio æqualitatis ordinis prædestinationis et exsecutionis salutis.*

Principium fundamentale, cui proxime innititur adultorum prædestinatio ad gloriam post prævisa merita supernaturalia, est, uti supra in introductionis paragrapho 2 jam notavimus, æqualitas ordinis prædestinationis et collationis beneficiorum salutarium. Ex hoc enim principio sequitur, omnia illa beneficia, quæ prædestinato in tempore conferuntur propter aliquod meritum supernaturale, etiam non nisi propter prævisum hoc meritum ab æterno fuisse prædestinata. Cum autem in confesso sit apud omnes catholicos plura dona salutaria in tempore conferri propter merita, et quidem nominatim nulli adulto dari gratiam sanctificantem nisi præcedente merito congruo aut gloriam nisi propter meritum condignum, quicunque admittit prædictum principium necessario docere debet in primis gloriam adultis non nisi post prævisa eorum bona merita prædestinari. Istud principium, uti patet, admittere nequeunt quotquot prædestinationem gloriæ præscientiam meritorum præcedere statuunt, sed illi omnes dicant oportet, alium esse ordinem absolutæ intentionis seu prædestinationis salutis et alium ejusdem exsecutionis sive ab æterno a Deo decretæ sive in tempore exercitæ. Quia igitur tota controversia de ordine

prædestinationem gloriæ inter et prædestinationem gratiæ tandem ad hoc revolvitur : utrum idem vel diversus sit ordo absolutæ intentionis seu prædestinationis et collationis beneficiorum supernaturalium, maximi momenti est sedulo inquirere, quid de hoc senserit s. Thomas. Pluribus autem docet Aquinas, eumdem esse ordinem absolutæ intentionis seu prædestinationis ac collationis donorum salutarium.

Hoc principium tradit Angelicus in Ep. ad Ephes. I, lect. 1, ubi disserens de causa prædestinationis hæc scribit : « Notandum est quod Dei voluntas nullo modo habet causam sed est prima causa omnium. Nihilominus tamen potest ei aliqua ratio assignari dupliciter, scilicet vel ex parte volentis et sic quædam ratio divinæ voluntatis est ejus bonitas, quæ est objectum voluntatis divinæ et movet eam. Unde ratio eorum omnium quæ Deus vult est divina bonitas... *Ex parte autem voliti ratio divinæ voluntatis potest esse aliquod esse creatum*, sicut dum vult coronare Petrum quia legitime certavit : sed hoc non est causa volendi, *sed est causa quod ita fiat*. Sciendum tamen est, quod effectus sunt ratio voluntatis divinæ ex parte voliti ita scilicet, quod effectus prior sit ratio ulterioris, sed tamen cum venitur ad primum effectum, non potest ultra assignari aliqua ratio illius effectus nisi voluntas divina, puta Deus vult hominem habere manum, ut serviat rationi, et hominem habere rationem, quia voluit eum esse hominem et hominem esse voluit propter perfectionem universi. Et quia hic est primus effectus in creatura non potest assignari aliqua ratio universi ex parte creaturæ, sed ex parte Creatoris, quæ est divina voluntas. Ergo *secundum hunc modum* nec prædestinationis potest ex parte creaturæ ratio aliqua assignari sed solum ex parte Dei. Nam effectus prædestinationis sunt duo scilicet gratia et gloria. Effectuum autem qui ad gloriam ordinantur potest quidem ex parte voliti assignari ratio scilicet gratia, puta Petrum coronavit quia legitime certavit et hoc quia fuit firmatus in gratia : sed

*gratia quæ est primus effectus*, non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis, quod sit ratio prædestinationis : quia hoc esset ponere, quod principium boni operis sit in homine ex seipso, quod est hæresis Pelagiana... Sic ergo patet quod ratio prædestinationis est simplex Dei voluntas. »

In hisce verbis ab Angelico Doctore supponi imo enuntiari fundamentale illud principium æqualitatis ordinis prædestinationis salutis et ejusdem exsecutionis, duplici potissimum argumento conficimus.

Primum desumitur ex modo argumentandi S. Doctoris. Intendit probare prædestinationem simpliciter dictam seu completam unice pendere a voluntate Dei diligente et eligente aliquos in vitam æternam pro beneplacito suo, et quia de prædestinatione similiter judicandum est ac de voluntate divina, quam illa includit, hoc suum propositum probat ex doctrina generali de causa et ratione divinæ voluntatis.

Statuit itaque hoc generale principium : licet voluntas Dei utpote prima causa omnium in se nullo modo habeat causam, neque ullam habeat rationem formalem seu objectum formale movens eam præter divinam bonitatem, ex parte tamen voliti finiti habet rationem in aliquo esse creato, quotiescumque ipsum volitum, ad quod terminatur divina voluntas, habet rationem in isto esse creato. Ex hoc generali principio (« secundum hunc modum ») solvenda est quæstio de causa prædestinationis, atque ideo, quia volitum quod respicit prædestinatio (completa) est gratia et gloria, cujus voliti nulla in prædestinando potest esse ratio, quia ante gratiam non est nisi opus naturale omni proportione cum gratia carens, prædestinationis (completæ) etiam ex parte voliti nulla in ipso prædestinando potest esse ratio. Alicujus vero particularis effectus prædestinationis potest assignari aliqua ratio in ipso prædestinando, puta ratio coronæ æternæ seu gloriæ est legitimum certamen, ideoque prædestinationi gloriæ ita incomplete spectatæ potest ex parte voliti assignari

aliqua ratio in meritis supernaturalibus, et consequenter dici potest : Deus « vult coronare Petrum quia legitime certavit.»

Hic modus argumentandi evidenter supponit imo clare enuntiat æqualitatem ordinis absolutæ intentionis et exsecutionis salutis. Juxta principium enim generale ratio divinæ voluntatis terminative sumptæ desumenda est ex ipso divinæ voluntatis termino, ita ut, si hic de facto et in rerum natura habet rationem suæ existentiæ in creatura, eadem ratio assignanda sit voluntati divinæ relatæ ad istum terminum. Hoc autem principium, fatente ipso Angelico, valet etiam pro voluntate Dei prædestinante, ideoque voluntati prædestinanti illa dona, quæ de facto et in rerum natura dependent ab aliquo in prædestinato prærequisito tamquam a ratione suæ existentiæ, hæc eadem ratio assignari debet. Hoc autem est ipsissimum principium æqualitatis ordinis prædestinationis et exsecutionis salutis, quo nihil aliud enuntiatur nisi quod dona prædestinata eodem ordine referuntur ad voluntatem prædestinantem, quo se invicem in reali existentia ratione dependentiæ excipiunt.

Secundum argumentum, ex quo simul illustratur ac confirmatur primum, deducitur ex diverso modo quo loquitur S. Doctor de effectibus primæ institutionis rerum, ex quibus generalem doctrinam de causa voluntatis divinæ illustrat et de effectibus prædestinationis, qui ad hominum salutem referuntur. In prima institutione rerum primus effectus sane in ordine intentionis est perfectio universi, atque ideo voluntati divinæ volenti perfectionem universi ex parte hujus voliti nulla potest assignari ratio in aliqua creatura, sed e contra ipsa hæc perfectio universi est ratio divinæ voluntatis relatæ ad cætera creanda et instituenda, atque inde est quod non potest assignari aliqua ratio universi ex parte creaturæ. E converso vero, quando in immediate subsequentibus loquitur de effectibus prædestinationis, non gloriam sed gratiam dicit esse primum effectum voluntatis prædestinantis, et quia

hæc est prorsus gratuita, voluntatis prædestinantis (complete spectatæ) ex parte voliti nulla potest esse ratio in prædestinato. Hæc differentia in determinando primo effectu voluntatis Dei absolutæ, prout consideratur vel ut primum instituens universitatem rerum vel ut prædestinans homines in salutem, ostendit S. Doctori ratum ac fixum fuisse illud principium, in negotio salutis eumdem esse ordinem exsecutionis et absolutæ intentionis. Utrimque enim est applicatio ejusdem principii : si unus effectus est ratio alterius, etiam voluntas Dei ad hunc alterum effectum terminata potest dici in illo priori habere rationem ex parte voliti. Sicut ergo ex eo, quod primus effectus voluntatis Dei statuentis creare, nempe perfectio universi, procedit ex mera Dei voluntate, voluntati divinæ « non potest assignari aliqua ratio universi ex parte creaturæ » licet ulteriorum effectuum seu singularum creaturarum sit ratio in ipsa perfectione universi; ita pariter, nam « secundum hunc modum » et de prædestinatione judicandum est, licet ultimus effectus voluntatis prædestinantis, scilicet gloria, habeat rationem in prædestinato, quia tamen primus ejus effectus, gratia, procedit ex mera Dei voluntate, etiam voluntati prædestinanti nulla in prædestinato ratio assignari potest. Quæ si quis attente considerat, nullus dubito quin nobiscum fateatur, gratiam ab Aquinate in ordine prædestinationis æque ac perfectionem universi in ordine creationis dici effectum primum voluntatis divinæ absolute intendentis, secus enim confusus foret sermo S. Doctoris. Enimvero, cum perfectionem universi primum effectum dicens evidenter intelligat primum in ordine intentionis tantum, et continuo eodem modo ex eodem principio argumentans gratiam *simpliciter* primum dicat effectum voluntatis prædestinantis, maxime hoc intelligendum est de ordine absolutæ intentionis. Hocque manifestius apparet, si attendatur principium generale ab Angelico enuntiatum : « effectus sunt ratio voluntatis divinæ ex parte voliti, ita scilicet, quod

effectus prior sit ratio ulterioris, » quod principium evaderet falsum nisi gratia etiam in ordine absolutæ intentionis dicatur primus prædestinationis effectus, cum hæc inhærens homini in ipsoque operans sit ratio motiva gloriæ. Accedit quod, si censuisset Angelicus gloriam esse primum effectum in absoluta intentione, debuisset potius omnimodam gratuitatem prædestinationis probare ex gratuitate gloriæ, cum ab hac utpote primo effectu cætera dona prædestinata penderent.

Quia igitur gloria æterna non ab una Dei voluntate sed etiam a libera voluntate creaturæ adjutorio Dei suffulta et adjuta pendet, et quidem ita ut in actibus ope gratiæ elicitis contineatur bonitas, quæ sit causa moralis gloriæ a Deo creaturæ volitæ, facile intelligitur quare S. Thomas non dixerit voluntatem Dei prædestinantem primum terminari ad hunc effectum in exsecutione ultimum. Non enim agitur hic, ut in prima institutione rerum, de mera exsecutione, in qua priores effectus nullam continent rationem posterioris et simpliciter tamquam partes concurrunt ad illum constituendum, sed agitur de tali exsecutione, in qua priores effectus continent rationem existentiæ posterioris. Gloria utique est finis hominis et merita sunt media ad eam, atque sub eo respectu gloria continet rationem motivam voluntatis Dei ex parte voliti ad volenda media et consequenter præcedit ejus intentio in voluntate divina volitionem mediorum; sed cum et media illa contineant in se rationem motivam ipsius gloriæ, intentio illa gloriæ antecedens volitionem meritorum in voluntate divina utpote ordinatissima vi principii S. Thomæ est necessario ex parte voliti dependens a meritis et consequenter non nisi conditionata. Hinc etiam docet Angelicus 1, Dist. 46, q. 1, a. 1 in corp. voluntatem antecedentem et conditionatam salutis quidem esse principium mediorum omnibus ad finem propositorum : « hujus voluntatis (antecedentis) effectus est ipse ordo naturæ in

finem salutis, et promoventia in finem omnibus communiter proposita tam naturalia quam gratuita. » Imo hæc voluntas salutis quæ est principium distributionis mediorum ideo præcise est conditionata, quia ejus volitum « non accipitur cum omnibus circumstantiis (hominis dispositionibus et operibus) quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem. » (ibidem ad 2.) Quando vero agit de voluntate salutis consequente et absoluta, non hanc dicit esse principium collationis mediorum, sed constanter docet, hanc « præsupponere præscientiam operum quasi rationem voliti » (l. c. in corp.), hanc, « cum utpote ordinata ad opus perficiatur in particulari circa quod est operatio, respicere omnes particulares conditiones circumstantes ipsum particulare ac consequenter respicere opera et dispositiones, quibus aliquis sufficienter ordinatur ad hoc, quod sit sibi conveniens et debitum, et hoc esse quod dicitur Deus velle perfecte et absolute ut salutem vel aliquid hujusmodi. » (l. c. Dist. 47, q. 1, a. 1 in corp.).

Quæ ex præcedentibus S. Thomæ verbis ad nostrum propositum deduximus illustrari ac confirmari possunt iis, quæ scribit S. Doctor 1, Dist. 47, q. 1, a. 1 in corp.; quæ confirmatio ita exhibebitur, ut sit simul novum argumentum ad probandum Angelicum revera agnovisse æqualitatem ordinis absolutæ intentionis et exsecutionis salutis. Verba laudati articuli jam descripsimus in prima dissertationis parte (1) simulque ibidem breviter ostendimus, illis a S. Doctore assertum principium æqualitatis ordinis; nihilominus claritatis ac commoditatis gratia ea iterum oculis lectoris subjicimus et quæ ibi obiter tantum tetigimus pro rei momento hic magis evolvemus ac operosius stabiliemus. Quærit itaque l. c. S. Doctor : « utrum voluntas divina semper efficaciter impleatur. » Hanc quæstionem in corpore articuli solvens

(1) Cap. II, § 2.

scribit : « Dicendum quod quidquid vult Deus voluntate consequente totum fit, non autem quidquid vult voluntate antecedente, quia hoc non simpliciter vult etiam perfecte : sed secundum quid tantum, nec ista imperfectio est ex parte voluntatis : sed ex conditione voliti. Est enim e contrario de voluntate et cognitione speculativa ; cognitio enim speculativa perficitur in abstractione a singularibus : sed voluntas, et quidquid aliud est ordinatum ad opus, perficitur in particulari circa quod est operatio. Illud ergo est simpliciter et perfecte volitum, quod subjacet voluntati secundum omnes particulares conditiones circumstantes ipsum particulare, et hoc pertinet ad voluntatem consequentem, quæ respicit opera et dispositiones, quibus aliquis sufficienter ordinatur ad hoc, quod sit sibi conveniens et debitum, et hoc est quod dicitur Deus velle, ut salutem vel aliquid hujusmodi : et ideo talis voluntas non potest impediri sicut nec præscientia cui subjicitur res secundum illas conditiones quibus in actu consistit. Illud autem quod est rectum et bonum secundum aliquam conditionem rei universalem consideratam non habet rationem voliti simpliciter sed secundum quid tantum ; sicut istum hominem, in quantum est homo, non est nisi bonum salvari, eo quod natura sua ad hoc est ordinata, et hoc Deus vult voluntate antecedente, secundum quam non dicitur velle simpliciter, et ideo talis voluntas potest non impleri. » Hisce verbis S. Doctor præfatum principium non solum enuntiat, sed imo ex voluntatis ad operis exsecutionem relatione probat atque demonstrat. In primis animadvertatur, Angelicum manifeste loqui etiam de voluntate absolute intentiva, ut vocari solet, agit enim de quavis voluntate simpliciter dicta, absoluta seu perfecta. Hanc autem voluntatem absolutam sive intendentem sive exsequentem respicere salutem æternam sicut de facto efficitur, prout nempe est homini jam conveniens ac debita propter ejus dispositiones et opera, aperte profitetur S. Thomas dicens : « illud ergo

est simpliciter et perfecte volitum, quod subjacet voluntati secundum omnes particulares conditiones circumstantes ipsum particulare, et hoc pertinet ad voluntatem consequentem, quæ respicit opera et dispositiones, quibus aliquis sufficienter ordinatur ad hoc, quod est sibi conveniens et debitum : et hoc est quod dicitur Deus velle simpliciter, ut salutem vel aliquid hujusmodi. » Rationem vero hujus æqualitatis ordinis exsecutionis et cujusvis absolutæ volitionis salutis deducit Aquinas ex ipsius voluntatis ad operis exsecutionem relatione. Voluntas enim, cum sit practica ac ordinata ad opus, secus ac cognitio speculativa « perficitur in particulari circa quod est operatio, » proindeque absoluta et perfecta voluntas respicit objectum prout est de facto exsequendum cum omnibus particularibus conditionibus, quæ ad ejus productionem prærequiruntur. Quando ergo objectum est tale, ut in exsecutione non producatur nisi propter quasdam dispositiones et opera in subjecto prærequisita, uti est salus æterna hominis, voluntas Dei absoluta et efficax non fertur in illud, nisi secundum quod in signo rationis priori jam subjacet ipsi secundum easdem conditiones in præscientia Dei actu existentes. Quoties vero objectum illud consideratur secundum aliquam conditionem universalem tantum et abstractum a conditionibus particularibus, sub quibus est de facto exsecutioni mandandum, toties voluntas ad illud relata est tantum voluntas secundum quid, conditionata et imperfecta, « quæ imperfectio quidem non est ex parte voluntatis sed ex conditione voliti. » Salus itaque æterna hominis hoc duplici modo vel abstracte vel concrete spectari potest et consequenter pro diversa consideratione ad voluntatem Dei vel absolutam vel conditionatam referri. Deus enim ineffabili sua bonitate totam naturam humanam ad beatitudinem supernaturalem fecit eamque in Adamo lapsam per Christum misericorditer reparavit, ideoque salus æterna est humanæ naturæ proposita tamquam finis

ac terminus. Simul tamen constituit Deus, ut nullus adultus ad eam perveniret nisi ope gratiæ eam fuerit meritus, imo nullus homo eam consequeretur nisi per gratiam ad eam fuerit rite dispositus ac præparatus. Considerata itaque in homine sola natura humana, salus ejus æterna secundum hanc considerationem universalem non est volita a Deo nisi voluntate conditionata et imperfecta, « quæ imperfectio quidem non est ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, *quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* » (l. c. Dist. 46, q. 1, a. 1 ad 2.) Hæc Dei voluntas tunc demum fit perfecta et absoluta, quando salus æterna consideratur concrete, prout de facto est exsecutioni mandanda, cum omnibus particularibus conditionibus quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem, quando nempe consideratur ut jam in præscientia Dei « conveniens et debita » tali homini « propter ejus dispositiones et opera. » Vides itaque in his omnibus a Doctore nostro clare supponi, enuntiari ac probari eumdem esse ordinem absolutæ intentionis et exsecutionis æternæ salutis hominum.

Placet adjungere alia verba quibus iterum docet S. Doctor eumdem esse ordinem prædestinationis et exsecutionis gloriæ æternæ hominum. L. c. Dist. 41, q. 1, a. 3 quærit : « utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis. » In corpore articuli distinguit illud quod prædestinatio dicit in recto, actum scilicet divinum, et ipsius duos effectus principales, gratiam nempe formaliter sanctificantem et gloriam, quæ in ea spectantur oblique ab ipsaque connotantur. Actus divinus in se nullam extra Deum habet causam, ipsius tamen effectus pro diversa eorum natura diversam habent rationem in opere humano, quæ « dicitur ratio divinæ voluntatis ex parte effectus. » « Unde patet, concludit, quod prædestinatio (actus Dei in se) causam non habet, sed habet rationem ex parte effectus secundum quam rationalis et justa dicitur.»

Quia igitur eo ipso quod aliquis effectus prædestinationis in exsecutione habet aliquam rationem in opere humano etiam prædestinatio ex parte talis effectus dici potest habere eamdem rationem, scribit ibidem ad 3 : « sciendum quod *prædestinatio respectu ultimi effectus habet rationem justitiæ distributivæ, scilicet respectu gloriæ :* et ideo possumus dicere, quod Deus dat isti gloriam et non illi, quia iste meruit et non ille; et *similiter vult quod iste habeat et non ille, quia iste dignus est et non ille.* » Idem ergo est ordo prædestinationis ac collationis gloriæ, utroque enim modo spectata gloria habet rationem justitiæ distributivæ. Ideoque sicut « Deus dat isti gloriam et non illi, quia iste meruit et non ille » ita « *similiter vult* quod iste habeat et non ille, quia iste dignus est et non ille. »

Principium, quod in locis hucusque allatis a S. Thoma magis implicite, in modo scilicet loquendi et argumentandi, vidimus suppositum atque assertum, totidem etiam verbis docet atque enuntiat. Scribit enim in Ep. ad Rom. VIII, lect. 6 : « Circa ordinem autem præscientiæ et prædestinationis dicunt quidam quod præscientia meritorum bonorum et malorum est ratio prædestinationis et reprobationis, ut scilicet intelligatur quod Deus prædestinet aliquos, quia præscit eos bene operaturos et in Christum credituros... *Et hoc quidem rationabiliter diceretur, si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis.* Sed sub prædestinatione cadit omne beneficium salutare, quod est homini ab æterno divinitus præparatum : *unde eadem ratione omnia beneficia quæ nobis confert in tempore præparavit nobis ab æterno.* Unde ponere quod aliquod meritum ex parte nostra præsupponatur, cujus præscientia sit ratio prædestinationis, nihil est aliud, quam gratiam ponere dari ex meritis nostris, et quod principium boni operis est ex nobis. » Quæ continentur paucis hisce verbis, quibus S. Thomas totam suam doctrinam de gratuitate prædestinationis breviter simul et

dilucide complectitur, concinne more suo exponit Card. Franzelin de Deo Uno, Thes. 57. Illa itaque quatuor punctis contrahens ait : « *a)* declarat (Aquinas) prædestinationem tam late patere, quam late patent beneficia salutaria collata in tempore. *b)* Est manifestissimum ex hoc loco, a S. Thoma intelligi prædestinationem omnium beneficiorum, ut in complexu spectantur, non autem prædestinationem hujus vel illius beneficii e. g. gloriæ per se spectatæ, quoties docet, prædestinationem non habere rationem in meritis prævisis. Eatenus enim, inquit, necesse est prædestinationem agnoscere gratuitam, quatenus gratia credenda est gratuita; si porro merita aliqua essent ratio totius effectus prædestinationis, necessario sequeretur, hujusmodi merita esse extra et ante totam seriem supernaturalium donorum Dei et effectuum prædestinationis, ac proinde esse merita naturalia, quod sapiunt Pelagiani. Cf. 1, q. 23, a. 5. Si contra *c)* spectetur per se unus aliquis effectus prædestinationis, qui in exsecutione confertur propter merita, ut gloria æterna; tum, « rationabiliter dicitur, » ad hunc effectum prædestinationem esse ex meritis supernaturalibus prævisis, eo ipso quod in exsecutione « datur meritis. » *d)* Fundamentum totius hujus doctrinæ apud Angelicum est, quia « Deus *eadem ratione* omnia beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit nobis ab æterno. » Quia scilicet *eadem ratione*, qua beneficia confert in tempore, illa ab æterno præparavit; ideo gloriam ex prævisis meritis prædestinasse rationabiliter dicitur, gratiam autem primam ex prævisis meritis prædestinasse dici non potest, quin in errorem impingatur semipelagianum. »

Quibus optime dictis nihil addendum censemus. Nihilominus quo luculentius appareat ac firmius stabiliatur genuinus verborum Aquinatis sensus, paucis expendere juvabit duplicem interpretationem qua Adversarii eorum pondus declinare tentarunt.

Prima interpretatio est Goneti (1) « ibi S. Doctor sumit prædestinationem non pro decreto intentivo gloriæ, quod in ejus sententia meritorum prævisionem antevertit, sed pro decreto exsecutivo illius, quod merita prævisa supponit, solumque intendit docere, hoc intercedere discrimen inter prædestinationem ad gloriam et prædestinationem ad gratiam, in ordine exsecutionis consideratas, quod prima non est pure gratuita, sed dependet a præscientia meritorum. Secunda vero est pure gratuita et independens a meritis. » Hæc interpretatio arbitraria apparet ac verbis S. Thomæ minime congruere videtur. Equidem generatim modus ille, quo vim quorumvis testimoniorum, quæ ipsis opponuntur, infringere student Adversarii appellando nimirum ad distinctionem duplicis diversi decreti salutis humanæ, facillimus quidem est sed ad explicanda testimonia minime aptus esse videtur. Duplicem istum ordinem actuum absolutæ Dei voluntatis circa salutem salvandorum ita statuunt Adversarii. Primus est ordo intentionis, qua Deus primo absolute vult æternam salvandorum beatitudinem ut finem deinde merita ac tandem gratias efficaces tamquam media ad finem. His absolvitur decretum ut vocant intentivum salutis. Subsequitur nostro modo intelligendi decretum exsecutivum salutis, quo Deus ordine inverso prius vult gratias efficaces ac bona merita, deinde propter merita gloriam (2).

(1) Clypeus Theol. Thomist. de Præd. Disp. 2, Art. 2, § 1 in fine.

(2) « Nota 1° Prædestinationem posse considerari dupliciter : in ordine intentionis et in ordine executionis; in ordine executionis iterum dupliciter : in ordine executionis præconceptæ et volitæ et in ordine executionis exercitæ. Etenim Deus gratis intendit ab æterno dare aliquibus gloriam ut præmium per merita obtinendum, consequenter dare merita, et hic est ordo intentionis quem nostri vocant decretum intentivum, quod sic exprimi potest : volo hunc perducere ad gloriam per modum præmii atque ob id illi præparare media congrua. Deinde Deus ab æterno præconcipit et decernit dare in tempore prius media per quæ possit obtineri hæc gloria ut

Duplex illud diversum decretum voluntatis Dei prædestinantis primo per se nullatenus admitti potest, secundo illud non agnovit S. Thomas.

Itaque 1. Per se nullatenus admitti potest. Etenim *a)* gratis omnino fingi videtur istud duplex decretum absolutum, sufficit enim decretum intentivum, quippe quod, cum sit absolutum, simul est exsecutivum salutis; voluntas enim Dei ad extra eo est *absoluta* quod est *efficax seu efficiens suum volitum.* Est enim ista intentio voluntas, qua Deus absolute *et efficaciter* vult homini finem seu gloriam per media convenientia obtinendam, et ex hac voluntate absolute et efficaciter vult ipsi merita ac gratias fini præstituto adamussim respondentia ad eumque infallibiter conducentia. Ex hac ipsa voluntate efficaci sequentur in tempore ista beneficia homini a Deo absolute volita, sese excipientia non quidem eodem ordine ac in intentione sed ordine inverso, idque vi istius decreti absoluti decernentis dare gloriam per media. Et re quidem vera, cum Deus per voluntatem suam omnia operetur, nullatenus admitti potest duplex actus voluntatis divinæ absolutæ et efficacis circa idem objectum; nam quando semel absolute et efficaciter vult aliquod bonum ad extra, hoc vi istius actus sequetur modo ac tempore statuto, « quia *effectus proprius voluntatis est ipsum volitum* » (S. Thomas 3. Supplem. q. 48, a. 1 in corp.). Hinc ipse Gonet : « Licet voluntas (intentiva) dandi gloriam sit ante prævisa merita, non tamen est voluntas dandi sine meritis, sed per merita et bona opera ab ipsa præparanda : *unde effectus illius ad extra est gloria in executione ex meritis communicata.* »

præmium, et hic est ordo executionis præconceptæ et volitæ, quem nostri vocant decretum executivum, quodque sic exprimitur : volo huic prius dare merita et propter merita gloriam. Tandem in tempore confert merita et propter merita gloriam; et hic terminatur ordo executionis exercitæ. » Billuart de Deo Diss. 9, Art. 5.

(Clyp. Theol. Thom. l. c. § 2). Si effectus ipsius voluntatis absolute intendentis gloriam est gloria in exsecutione ex meritis communicata, ad quid igitur novum decretum exsecutivum? Hoc ipsum, quod Adversariis necessario admittendum videtur decretum exsecutivum gloriæ dependens a meritis prævisis, illis potuisset esse indicio, in terminis voluntatis Dei prædestinantis non agi de mera relatione mediorum ac finis sed de relatione meritorum et præmii, ideoque non posse admitti in Deo decretum aliquod absolutum gloriæ independens a prævisis meritis. *b)* Voluntas absoluta finis (abstrahendo a fine proprio ipsius Dei) est voluntas absolute et efficaciter acquirendi sibi vel communicandi alteri aliquod bonum, quod sub ratione finis intenditur. Si ad acquisitionem vel collationem hujus boni prærequiruntur quædam media, ex ipsa illa voluntate absoluta finis procedit volitio istorum mediorum, in quibus mediis voluntas tunc proprie intendit finem, quæ proinde intentio finis nihil aliud est quam eadem illa voluntas finis perseverans in volitione mediorum et *volens finem per media et in mediis.* Immerito igitur inducitur nova voluntas acquirendi vel communicandi finem consequens adhibitionem vel volitionem mediorum; nam iste primus actus voluntatis absolutæ est revera voluntas exsecutiva finis. Hinc S. Thomas de Verit. q. 22, a. 14 in corp. ait : « Quando motus voluntatis fertur in finem et in id, quod est ad finem, si feratur in ea secundum quod utrumque est quædam res per se existens, erit diversus motus voluntatis. Et sic est vera opinio, quæ dicit, quod intentio finis et voluntas ejus quod est ad finem sunt diversi actus. Si autem voluntas fertur in unum eorum secundum quod habet ordinem ad aliud sic est unus actus voluntatis in utraque. Et sic est vera opinio, quæ ponit unum actum esse intentionem finis et voluntatem ejus quod est ad finem. Sed si recte inspiciatur ratio intentionis, invenitur hæc opinio esse verior quam alia : motus enim voluntatis in finem non dicitur

absolute intentio, sed simpliciter velle, sed intentio dicitur inclinatio voluntatis in finem secundum quod ad finem terminantur ea, quæ sunt in finem. Qui enim vult sanitatem dicitur eam simpliciter velle, sed tunc solum eam intendere dicitur, quando aliquid propter sanitatem vult. Et ideo concedendum est, quod intentio non sit alius actus numero, quam voluntas. » Similiter 1, 2, q. 12, a. 4 in corp. : « Motus voluntatis in finem et in id quod est ad finem... potest considerari, secundum quod voluntas fertur in id quod est ad finem propter finem : et sic unus et idem subjecto motus voluntatis est tendens ad finem, et in id quod est ad finem. Cum enim dico : volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi unum motum voluntatis : cujus ratio est, quia finis ratio est volendi ea quæ sunt ad finem. Idem autem actus cadit super objectum et super rationem objecti. » *c)* Alia etiam consideratione non minus solida, ut videtur, ostendi potest repugnare duo illa diversa decreta gloriæ, qualia in mente divina statuunt Adversarii. Unum enim ex ipsis est, quo Deus *gratis vult* dare gloriam per merita tamquam media obtinendam, aliud subsequens, quo *propter merita* vult dare gloriam. Terminus utriusque illius voluntatis absolutæ Dei est prorsus idem, est enim gloria in concreto seu gloria actu danda tali adulto tamquam finis coronans ejus merita. Atqui actus divini distinguuntur solum ratione terminorum, nam ex parte Dei non est nisi unus actus substantialis ac simplicissimus. Ergo nequeunt distingui duo diversi actus voluntatis Dei absolutæ circa eamdem gloriam. Neque dicatur, gloriam pro diverso actu diversimode referri ad voluntatem absolutam Dei ; ad voluntatem intendentem scilicet referri gloriam consideratam ante prævisa merita, ad voluntatem vero exsequentem eam referri consideratam post prævisa merita et propter ea jam debitam, ideoque non prorsus eumdem esse utriusque voluntatis terminum. Neque hoc dicatur, inquam, nam sic Deus aliud intenderet et aliud con-

ferret, intenderet puram gratiam et conferret præmium. Gloria ut considerata ante merita non est gloria in concreto et actu danda, nec proinde ut talis potest esse absolute a Deo volita seu intenta. Quævis enim voluntas Dei absoluta fertur in objectum secundum quod est in seipso, uti per se manifestum est et expresse docet S. Thomas 1, q. 19, a. 3 ad 6 : « scientia habetur de rebus secundum quod sunt in sciente; *voluntas* (divina) *autem comparatur ad res secundum quod sunt in seipsis.* »

2. S. Thomas non agnovit duplex illud decretum voluntatis Dei prædestinantis salutem humanam. Nam *a)* nullibi meminit S. Doctor duplicis istius diversi decreti salutis, quod tamen, si de ista distinctione cogitasset, necessario facere debuisset ne ipsius sermo confusus esset. Duo tantum distinguit Angelicus : *ipsam prædestinationem æternam* et *exsecutionem temporalem.* Prædestinatio æterna est « ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ » (1, q. 23, a. 1 in corp.), est formaliter scientia practica seu « ratio operis fiendi » in tempore (ibidem a. 2 ad 3). Hæc scientia utpote practica includit voluntatem salutis seu « includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam » (ibidem a. 3 in corp.). Hæc prædestinatio est decretum absolutum et efficax salutis, utpote « causa et ejus quod expectatur in futura vita a prædestinatis, scilicet gloriæ, et ejus quod percipitur in præsenti, scilicet gratiæ » (ibidem ad 2). Hoc decreto absolvitur æterna prædestinatio, ad quam sequitur gubernatio, quæ nihil aliud est quam temporalis exsecutio ordinis salutis per prædestinationem præconcepti et præstituti (l. c. a. 2.). Nullum hic vestigium duplicis diversi decreti salutis; Deus opus salutis efficiendum in tempore ab æterno ordinavit atque voluit prædestinando, hocque suum decretum exsequitur in tempore dando gratiam et gloriam. *b)* Certe Aquinas non agnovit duplicem Dei voluntatem absolutam circa idem objectum, nam juxta ipsum omnis voluntas Dei absoluta ad

extra est eo ipso, quod est absoluta, efficiens suum terminum. Etenim de Verit. q. 23, a. 4 sub 15 hanc ponit difficultatem : « si Deus vult Antichristum fore de necessitate sequitur Antichristum fore, quamvis Antichristum fore non sit necessarium : hoc autem non esset nisi esset necessarius respectus sive necessaria habitudo divinæ voluntatis ad volitum, ergo ipsum velle divinum secundum quod importat respectum voluntatis ad volitum est necessarium. » Hanc difficultatem ibidem ad 15 solvens scribit : « Voluntas ad volitum habet duplicem respectum. Primum quidem habet ad ipsum in quantum est volitum. Secundum vero habet ad idem in quantum est producendum in actum per voluntatem, et hic quidem respectus præsupponit primum. Primo enim intelligimus voluntatem velle aliquid, deinde *ex hoc ipso quod vult illud* intelligimus, *quod producat ipsum in rerum naturam si voluntas sit efficax.* Primus ergo respectus divinæ voluntatis ad volitum non est necessarius absolute propter improportionem voliti ad finem, qui est ordo volendi ut dictum est : unde non est necessarium absolute quod Deus velit illud. Sed secundus respectus est necessarius *propter efficaciam divinæ voluntatis,* et *exinde est quod de necessitate sequitur si Deus vult aliquid voluntate beneplaciti* (seu absoluta) *quod illud fiat.* » Voluntas itaque absoluta Dei juxta S. Thomam eo ipso quod est absoluta est efficiens suum terminum, non potuit igitur S. Doctor agnoscere duplicem diversam Dei voluntatem absolutam circa idem objectum. Hinc etiam *c)* docet Angelicus, uti supra vidimus, voluntatem Dei *absolutam* circa salutem æternam hominum, eo ipso quod est ordinata ad opus seu efficiens suum terminum, referri ad eam ut hominibus jam convenientem ac debitam propter ipsorum dispositiones et opera (1, Dist. 47, q. 1, a. 1 in corp.); docet omnem voluntatem Dei ex parte termini habere rationem eamdem quam habet ipse terminus in rerum natura, ideoque prædestinationem ex parte ultimi effectus seu gloriæ

habere rationem in meritis, rationabiliter dici prædestinationem gloriæ seorsum sumptæ fieri post prævisa merita (in Ep. ad Ephes. I, lect. 1; 1, Dist. 41, q. 1, a. 3; in Ep. ad Rom. VIII, lect. 6). Tali autem modo loquendi non solum excluditur istud duplex diversum decretum salutis, sed imo clare docetur, dona prædestinata eodem prorsus ordine referri ad quamvis voluntatem Dei prædestinantem, quo in tempore conferuntur. Tandem *d)* S. Thomam nullatenus agnovisse duplex diversum decretum prædestinationis ejusdem objecti manifestum quoque esse debet inspicienti ipsa S. Doctoris verba ex 1, Dist. 41, q. 1, a. 3, et lect. 6 in cap. VIII Ep. ad Rom. paulo supra descripta. Quando enim Angelicus ibi *simpliciter et nulla addita exceptione* docet, prædestinationem respectu gloriæ æque ac collationem gloriæ habere rationem justitiæ distributivæ, habere rationem in meritis, nonne confusus ac parum sibi constans esset iste modus loquendi si nihilominus sensisset esse aliquam prædestinationem ejusdem gloriæ independentem a meritis? Sane nullus eorum, qui agnoscunt duplicem diversam prædestinationem gloriæ, ita loqueretur.

Neque argumentum aliquod peti potest ex eo, quod S. Doctor docet voluntatem absolutam finis seu salutis secundum rationem præcedere prædestinationem. Etiamsi enim hujus Aquinatis doctrinæ sensus esset, quem volunt Adversarii, voluntatem absolutam gloriæ seorsum sumptæ secundum rationem præcedere prædestinationem seu voluntatem gratiarum ac meritorum, sequeretur tantum, ex mente S. Doctoris decretum absolutum gloriæ præcedere decretum absolutum mediorum, minime vero duplex diversum ab ipso admitti decretum circa idem objectum. Quomodo autem hoc componi posset cum ipsius Angelici doctrina, alibi expressa, de voluntate absoluta æternæ salutis consequente prævisionem meritorum, de prædestinatione gloriæ habente rationem justitiæ distributivæ, habente rationem in meritis, ut interim taceam de

æqualitate ordinis cujusvis voluntatis absolutæ salutis et ejusdem exsecutionis, haud apparet. Sane neque fas neque jus est, ad ista componenda S. Doctori adscribere distinctionem, cujus nunquam meminit. Sed neque illum esse sensum istius doctrinæ S. Thomæ infra data opera ostendemus.

Interpretationem itaque Goneti haud fundatam esse imo eam insuper ipsis S. Thomæ verbis per se inspectis non congruere censemus. Etenim 1. uti jam paulo supra innuebamus, quando S. Doctor loquitur de prædestinatione *simpliciter nulla adjecta exceptione*, ad quam ex mente Adversariorum sane etiam et quidem præcipue pertinet decretum intentivum, profecto de decreto exsecutivo, si hoc ab illo distinguitur, unice intelligi nequit, aliud enim diceret aliudque dicere intenderet. Hoc magis apparet, si attendatur ad id quod Angelicus ibidem docere intendit, videlicet quid veri quid autem falsi contineatur in illa quorumdam doctrina : præscientiam meritorum esse rationem prædestinationis. Si enim vera esset interpretatio Goneti nequaquam *generatim* dicere potuisset, « hoc rationabiliter dici si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam. » 2. Excluditur ista interpretatio illis Aquinatis verbis, quibus tamquam principio innititur tota ipsius doctrina inibi declarata, « *eadem ratione omnia beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit nobis ab æterno.* » Præparatio igitur quorumcunque beneficiorum salutarium ab æterno facta est a Deo eadem ratione, qua in tempore conferuntur. Quomodo nihilominus dici possit, Angelicum hoc in loco non negare, æternam præparationem beneficiorum salutarium in intentione absoluta Dei factam esse ratione omnino diversa ab ea, qua eorum collatio fit in tempore? Talis interpretatio cum verbis S. Doctoris conciliari nequit.

Alia ratione in explicandis illis S. Thomæ verbis procedit Billuart (1), imo, quod mirum videri potest, ea contra suos

(1) De Deo, Diss. 9, Art. 5, § 3.

Adversarios retorquere conatur. « Respondeo, inquit, inde adstrui potius quam destrui prædestinationem gratuitam ad gloriam. Equidem verissime dixit S. Thomas quod si prædestinatio esset tantum ad gloriam et non ad merita, ita ut supponeret ex parte nostra aliquid necessarium ad gloriam, quod non daret, sive bonum opus, ut volebat Pelagius, sive initium boni operis, ut dicebant Semipelagiani, sive bonum usum gratiæ, ut censent Molinistæ; tunc non esset gratuita, quia deberet supponere et prævidere istud necessarium ex parte nostra non defuturum. At supposito quod prædestinatio non sit tantum ad gloriam, sed etiam ad merita, ita ut nihil sit in nobis conducens ad gloriam, quod non sit donatum a Deo, ut hic et alibi constanter docet S. Thomas, sequitur quod prædestinatio ad gloriam non sit ex prævisis meritis, sed e contra quod hæc merita sint effectus prædestinationis ad gloriam, quatenus nemo confert media ad finem, nisi ex intentione finis. » Hæc interpretatio, licet prima fronte aliquam speciem præ se ferre videatur, non magis tamen quam altera verbis S. Thomæ congruit. Nam 1. modus argumentandi Aquinatis plane diversus est ab illo, quem exhibet Billuart, qui negligit illa verba : « eadem ratione omnia beneficia, quæ nobis confert in tempore, præparavit nobis ab æterno, » quibus S. Doctor totius suæ argumentationis principium clare enuntiat. Manifeste enim hoc modo discurrit Angelicus Doctor : cum omnia dona salutaria, quæ Deus homini confert in tempore, etiam ipsi ab æterno præparaverit, prædestinatio hæc omnia beneficia complectitur. Atqui omnia ista beneficia præparavit Deus ab æterno eadem ratione, qua ea in tempore confert; in tempore autem prima gratia, per quam inchoatur series istorum donorum supernaturalium, confertur ante omne meritum. Ergo prima gratia etiam ab æterno præparata est ante prævisum quodcunque meritum et consequenter prædestinatio, quæ etiam comprehendit primam gratiam, consequi præscientiam meritorum

dici nequit. Si vero prædestinatio spectaretur præ sola vita æterna seu gloria, cum hæc in tempore *detur meritis*, rationabiliter diceretur prædestinatio fieri post prævisa merita. Hic profecto est modus argumentandi S. Thomæ, ideoque in loco citato non adstruitur prædestinatio gratuita ad gloriam seorsum sumptam, ut putat Billuart, sed prorsus excluditur. 2. Ratio, cur prædestinationem, si spectaretur præ sola gloria, fieri ex prævisis meritis rationabiliter dici posset, penes Angelicum est quia vita æterna *datur meritis*, quæ ratio sane etiam et quidem unice valet pro meritis ex gratia et prædestinatione utpote veris ac propriis meritis quæque vel sola ad vitam æternam aliquid conferunt. Quia vero prædestinatio simpliciter dicta, utpote ratio totius transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ, complectitur etiam primam gratiam et ipsa merita, quod de prædestinatione gloriæ seorsum sumptæ dici posset, ad prædestinationem simpliciter dictam sine errore transferri nequit. Quod addit Billuart, ex eo quod merita sint data a Deo sintque effectus prædestinationis sequi prædestinationem gloriæ non esse ex prævisis meritis, supponit ipsius doctrinam de gratia physice prædeterminante seu efficaci ab intrinseco, qua admissa utique ad gratuitam prædestinationem gloriæ concludendum est. Quia autem merita hominis prædestinati ita sunt data a Deo et effectus ipsius prædestinationis, ut simul etiam sint ab ipso homine viribus gratiæ libere operante ac vere merente gloriam, uti docet Concilium Tridentinum (1), certe non requiritur ut gloria, quæ veris *datur meritis*, ante prævisa merita prædestinata dicatur.

Eumdem esse ordinem prædestinationis et collationis salutis tandem etiam perspicuis verbis repetit S. Thomas in

(1) Sess. VI, Can. 32 : « Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita... anathema sit. »

Summa Theologica, ubi illud tamquam fundamentum suæ doctrinæ de causa prædestinationis pariter inculcat. Sic 1, q. 23, a. 5, antequam ad solvendam quæstionem de causa prædestinationis in corpore articuli progreditur, hæc disertissima verba præmittit : « *Sicut salvos nos fecit* (Deus), *ita et prædestinavit nos salvos fieri.* » Similiter 3, q. 24, a. 4 in corp., postquam dixit prædestinationem Christi esse causam nostræ prædestinationis ex parte termini consideratæ, tamquam fundamentum hujus doctrinæ subjungit : « Sub prædestinatione enim æterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, *sed etiam modus et ordo secundum quem est complendum in tempore.* » Ex his omnibus itaque jure concludimus S. Thomam revera agnovisse æqualitatem ordinis prædestinationis et collationis salutis, ideoque ipsum in hoc fundamentali principio prædestinationem gloriæ seorsum sumptæ post prævisa merita jam implicite docuisse.

### § 2. *Aliis argumentis ex S. Thoma depromptis probatur, ipsum docuisse prædestinationem gloriæ seorsum sumptæ post prævisa merita supernaturalia.*

Quamquam propter exposita in paragrapho præcedenti S. Thomas omnino favere dicendus est sententiæ illi de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera, judice S. Doctore Francisco Salesio, « antiquitate, suavitate ac scripturarum nativa auctoritate nobilissimæ, Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneæ, veriori et amabiliori (1); » nihilo-

(1) Epist. ad Leonardum Lessium die 26 Aug. an. 1613 scripta. Textus hujus epistolæ sic habet : « Cognovi Paternitatem vestram sententiam illam, antiquitate, suavitate, ac scripturarum nativa auctoritate nobilissimam, de prædestinatione ad gloriam post prævisa merita amplecti ac tueri, quod sane mihi gratissimum fuit; qui nimirum eam semper ut Dei misericordiæ ac gratiæ magis consentaneam, veriorem et amabiliorem

minus pro rei momento addemus et alia ex Doctore Angelico clarissima, quibus magis appareat, illam sententiam non esse nisi ulteriorem evolutionem doctrinæ, quam princeps Theologorum, Patrum vestigia fideliter premens, jam præformaverat. Ut autem in his exponendis ex ordine progrediamur, ea ad quædam puncta reducemus. Itaque :

I. Angelicus nullam aliam cognoscit rationem, cur gloria æterna sit gratia simul ac corona, nisi quia merita, quibus datur, sunt ex gratia. Etenim in II Tim. IV, lect. 2, cum sequentia enarrans Apostoli verba : « in reliquo reposita est mihi corona justitiæ » dixisset : « corona justitiæ dicitur quam Deus ex sua justitia reddet, » continuo subjungit : « sed contra : quia vita æterna ex gratia datur, Rom. VI, 23 : « gratia Dei vita æterna... » non ergo ex justitia. Respondeo, pergit, dicendum est quod *est gratia quantum ad radicem merendi :* justitia autem quantum ad actum qui procedit ex voluntate. » Ratio igitur, cur gloria, licet ut corona justitiæ tribuatur meritis, nihilominus sit ac recte dicatur gratia, penes Aquinatem ea est, quia radix et principium meritorum quibus datur est gratia. Ne verbum quidem de omnino gratuita gloriæ prædestinatione, quam si agnovisset S. Doctor haud dubie commemorasset utpote rationem longe potiorem ac validiorem, cur vita æterna dicenda sit gratia, imo sine qua, ut censet Billuart, gloria *in se* vere gratia dici nequit (1). Illudque vel eo magis dicendum, quod in hoc ipso Apostoli textu vita æterna dicatur ut corona justitiæ *reposita* per æternam prædestinationem, uti ipse Angelicus ibidem paulo infra exponit scribens : « dicit : *reposita* (est mihi corona justitiæ) *id est secundum æternam prædestinationem reservata.* »

existimavi : quod etiam tantisper in libello *de Amore Dei* indicavi. — Invenitur hæc epistola apud De Ram in opere *Agiographie nationale* Cf Revue catholique, Avril 1861, pagg. 205 et 206.

(1) De Deo, Diss. IX, Art. 4, § 3.

Hinc etiam est, quod S. Doctor, loquens de gratuitate prædestinationis, eam totam gratuitati gratiæ innixam doceat. Ubique enim eam repetit vel ex independentia voluntatis divinæ in se spectatæ a quavis re creata, vel ex omnimoda gratuitate primi prædestinationis effectus nempe gratiæ. S. Thomas in adstruenda prædestinationis gratuitate, perinde ac S. Augustinus, unice sollicitus est de vitanda hæresi Pelagiana seu de excludendis quibusvis meritis humanis absque gratia productis. Hac ratione ipsum vidimus eam inculcare tum lect. 1 in cap. I Ep. ad Ephes., tum præsertim lect. 6 in cap. VIII Ep. ad Rom. Eadem ratione eam exponit atque defendit C. G. III, 163 : « Quod autem prædestinatio et electio causam non habeant ex aliquibus humanis meritis, potest fieri manifestum non solum ex hoc *quod gratia Dei quæ est prædestinationis effectus, meritis non prævenitur, sed omnia merita præcedit humana*, ut ostensum est; sed etiam manifestari potest ex hoc quod divina voluntas et providentia est prima causa eorum quæ fiunt. » Similiter alibi ut mox videbimus. Numquam autem Angelicus rationem gratuitæ prædestinationis desumit ex hoc quod Deus ante omnem prævisionem meritorum absolute velit gloriam et ex hac absoluta intentione velit merita tamquam media ad eam. Licet hoc argumentum per se quidem sit negativum, et ex modo considerandi prædestinationem completam, S. Thomæ solemni, aliquatenus explicari posset, quomodo S. Doctor, etiamsi gratuitam prædestinationem gloriæ agnovisset, ad explicandam et tuendam gratuitatem prædestinationis unice inculcet omnimodam gratuitatem gratiæ; nihilominus, spectatis tum generatim natura rei tum nominatim modo disserendi Aquinatis in ipsis illis locis, hic de gratuitate prædestinationis loquendi modus testimonio esse videtur, ipsum gratuitam gloriæ prædestinationem non tenuisse. Etenim qui admittit gloriam per se ac seorsum spectatam prædestinari prorsus gratuito et independenter a prævisis quibusvis

meritis, sane ex hoc facillime et pro sua mente efficacissime omnimodam prædestinationis gratuitatem ostendet. Hinc jam per se difficulter intelligitur, quomodo Angelicus, si illa opinione imbutus fuisset, simplicissimam hanc et efficacissimam rationem omittere potuisset, quando gratuitatem prædestinationis data opera explicat atque vindicat. Hæc difficultas crescit, si consideratur modus, quo in illis ipsis locis, in quibus prædestinationis gratuitatem adstruit, disserere solet. In istis enim locis fere omnibus, uti jam in supra allatis videri potest, gratuitatem prædestinationis sive entitative sive terminative et complete spectatæ ita tuetur, ut simul clarissime doceat, aliquem particularem prædestinationis effectum nominatim gloriam habere rationem in meritis supernaturalibus. Jam vero in tali contextu omnino videtur dicendum, S. Doctorem in explicanda gratuitate prædestinationis non potuisse prætermittere gratuitam prædestinationem gloriæ si eam agnovisset. Enim vero quando aliquis, docens omnimodam gratuitatem prædestinationis complete spectatæ, adjungit quemdam tamen particularem ejus effectum per se consideratum habere rationem in meritis supernaturalibus, sensus sane obvius est, effectum illum *ut prædestinatum* habere rationem in meritis prævisis, imo hic sensus unicus esse potest, nisi simul declaret, prædestinationem talis effectus etiam per se spectati esse prorsus gratuitam. Posito autem quod S. Thomas ratam ac fixam habuisset gratuitam prædestinationem gloriæ, ab isto sensu omnino præcavere debuisset. Videtur ergo dicendum, Doctorem Angelicum in illis locis non potuisse prætermittere gratuitam prædestinationem gloriæ, si eam sibi persuasam habuisset, ideoque istam omissionem indicio esse ipsum non censuisse gloriam per se et seorsum sumptam ante prævisa quæcunque merita prædestinari.

II. S. Thomas non modo non meminit gratuitæ prædestinationis ad gloriam seorsum sumptam, ubi eam comme-

morare debuisset, sed disertis etiam verbis eam positive excludit, docendo prædestinationem gloriæ ex meritis. Quoties enim singillatim considerat diversos prædestinationis effectus sicque ordinem attingit, qui nostro concipiendi modo gratiam inter et gloriam in prædestinatione intercedit, toties declarat gloriam prædestinari post et propter merita supernaturalia prævisa. Hoc jam supra vidimus ab Angelico Præceptore clarissime expressum in Ep. ad Rom. VIII, lect. 6, ubi simul hanc doctrinam ex ipso ordine exsecutionis firmissime probat.

Idem docet Aquinas in Ep. ad Ephes. I, lect. 1 verbis pariter supra a nobis allatis, quæ tamen verba juvat hic iterum lectoris oculis subjicere, quia in illis clare asseritur gloriam propter prævisa merita supernaturalia prædestinari. « Causa, inquit, divinæ prædestinationis est voluntas mera Dei, finis vero cognitio ejus bonitatis : Unde notandum est, quod Dei voluntas nullo modo habet causam, sed est prima causa omnium. Nihilominus tamen potest ei aliqua ratio assignari dupliciter, scilicet vel ex parte volentis, et sic quædam ratio divinæ voluntatis est ejus bonitas, quæ est objectum voluntatis divinæ et movet eam... *Ex parte autem voliti ratio divinæ voluntatis potest esse aliquod esse creatum, sicut dum vult coronare Petrum, quia legitime certavit* : Sed hoc non est causa volendi, sed est causa quod ita fiat. Sciendum tamen est, quod effectus sunt ratio voluntatis divinæ ex parte voliti, ita scilicet, quod effectus prior sit ratio ulterioris, sed tamen cum venitur ad primum effectum, non potest ultra assignari aliqua ratio illius effectus, nisi voluntas divina... Ergo *secundum hunc modum* nec prædestinationis (completæ) potest ex parte creaturæ ratio aliqua assignari, sed solum ex parte Dei. Nam effectus prædestinationis sunt duo, scilicet *gratia et gloria.* Effectuum autem qui ad gloriam ordinantur, *potest quidem ex parte voliti assignari ratio*, scilicet gratia, *puta Petrum coronavit, quia*

*legitime certavit* et hoc quia fuit firmatus in gratia. Sed *gratiæ*, quæ est primus effectus, non potest aliqua ratio assignari ex parte hominis, quod sit ratio prædestinationis : quia hoc esset ponere, quod principium boni operis sit in homine ex seipso et non per gratiam, quod est hæresis Pelagiana. » Dicit itaque S. Doctor, licet divina voluntas in se nullam possit habere causam physicam, neque ullam rationem motivam præter bonitatem divinam, quatenus hæc nempe ab illa non re quidem sed ratione distinguitur, ex parte tamen voliti seu terminative sumpta potest habere aliquam rationem in esse creato. Quando enim unus effectus a parte rei est ratio alterius, eo ipso etiam voluntas divina quatenus terminata ad hunc alterum effectum habet ex parte hujus voliti rationem in illo priori. « *Secundum hunc* autem *modum* » judicandum est de prædestinatione, sub qua diversi continentur effectus, quorum ultimus scilicet gloria habet rationem in meritis supernaturalibus ; ideoque prædestinatio gloriæ per se spectatæ habet ex parte voliti rationem in iisdem meritis, « *sicut dum vult coronare Petrum quia legitime certavit.* » Quia vero primus effectus, qui est gratia, nullam habet rationem in esse creato, etiam prædestinationis hujus effectus nec proinde prædestinationis completæ potest esse in homine aliqua ratio. Si igitur prædestinatio, quæ in Deo est quidem una ac indivisa, ratione dispescitur secundum diversos quos respicit effectus talis juxta Angelicum est ordo, ut prædestinatio gloriæ consequatur prædestinationem gratiæ et meritorum, eo quod effectus prior habet rationem ac motivum suæ existentiæ in effectu posteriori.

Eamdem doctrinam tradit S. Doctor in 1, Dist. 41, a. 3. Eodem enim modo ac in præcedenti loco distinguit prædestinationem ut actum divini intellectus ac voluntatis in se et prædestinationem ex parte effectus seu terminative spectatam, quam posteriorem autem hic proprie tantum consi-

derat secundum duos ipsius effectus principales, ad quos cæteri ordinantur, *gratiam scilicet formaliter sanctificantem*, in qua est hominis salus pro hac vita, *et gloriam*, quæ facit ejus supremam felicitatem pro vita æterna. Prædestinationem ex parte actus divini nullam quidem in creatura habere causam, prædestinationem vero terminative sumptam pro diverso effectu diversam in ipso prædestinato habere rationem clarissime docet. Verba hujus articuli per se perspicua sunt. Ad propositam quæstionem : « utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis » responsurus in corpore articuli, ait : « Dicendum quod præscientia meritorum vel aliquorum operum nullo modo est causa prædestinationis divinæ, quod patet, si consideretur totum id quod est de essentia ipsius : sed nihil prohibet illud quod est effectus prædestinationis, scilicet gratia et gloria, quæ oblique ponuntur in ejus definitione, habere aliquam causam ex parte nostrarum operationum. » En thesis bipartita, quam in hoc articulo evolvit ac probat S. Doctor. A primo igitur incipiens continuo subjungit : « De essentia enim prædestinationis est præscientia et voluntas salutis aliquorum. Scientia autem de salute eorum non causatur a scientia operum aliquorum, quia ipse non venit in cognitionem effectus per causam sed per seipsum. Unde non potest dici in eo, quod ipse scit hoc quia scit causam ejus : sed in quantum intuetur essentiam suam, quæ est omnium similitudo, videt unumquodque in se, tam causam quam causatum. Similiter etiam voluntas sua cum sit libera, magis etiam quam aliqua voluntas, non habet causam nisi finem voluntatis suæ; finis autem voluntatis suæ est sua bonitas quæ est ipsemet. Unde dicitur communiter, quod Deus vult hoc propter bonitatem suam, non quia scivit hoc, vel quia hoc factum est. » Hisce traditur doctrina in confesso apud omnes, qui Dei infinite perfecti rectam retinent notionem. Negatur enim ex parte creaturæ omnis causa scientiæ ac

volitionis divinæ in se, quippe quæ ipsa divina essentia solæ sibi sunt causa. Post hæc ad secundum, quod proprie nostram spectat quæstionem, progrediens pergit Aquinas : « Sed tamen effectus voluntatis ejus, scilicet ipsum volitum ordinatum ad bonitatem suam, potest procedere ex aliqua causa quam Deus præscivit ab æterno, et istum ordinem causæ ad causatum Deus vult, et vult quod effectus sit, quia causa est : non autem ita quod causalitas referatur ad voluntatem (in se), sed ad volitum; et ista causa voliti non volendi *dicitur ratio quædam voluntatis ex parte effectus.* Sed hæc causa in quibusdam habet completam rationem causæ et sufficienter inducit effectum, quandoque vero est tantum dispositio. Ita etiam ad duplicem effectum prædestinationis diversimode se habet nostra operatio, quia opus meritorium informatum gratia est causa meritoria gloriæ : sed opus bonum præcedens gratiam (formaliter sanctificantem) non est causa meritoria ejus, sed solum dispositio quædam. » Tandem sequitur conclusio utrumque complectens : « Unde patet quod prædestinatio (actus Dei in se) causam non habet, *sed habet rationem ex parte effectus secundum quam rationalis et justa dicitur.* » Voluntatis igitur prædestinantis non quidem in se consideratæ sed *terminative sumptæ* ex opere nostro aliqua est ratio, secundum quod illud nostrum opus est ratio ipsius termini in exsecutione. Verba enim S. Doctoris non posse intelligi unice dicta de ratione effectus in temporali exsecutione, sed necessario accipienda esse de *ratione effectus ut prædestinati* seu de *ratione prædestinationis terminative spectatæ*, tam ex verborum contextu quam ex ipsis verbis manifestum videtur. Nam :

1. Quod pro prædestinatione concludit Angelicus deducit ex doctrina generali de voluntate Dei, quæ, licet in se nullam extra Deum habeat causam, ut terminata tamen ad effectum creatum eamdem habet rationem, quam in rerum natura habet ipse terminus.

2. Opponit prædestinationem ex parte effectus consideratam prædestinationi spectatæ ex parte ipsius actus divini; in tali autem oppositione per prædestinationem ex parte effectus necessario significari prædestinationem terminative sumptam nemo non videt.

3. Non solum effectus prædestinationis apud Aquinatem habet rationem in operibus nostris sed ipsa « *prædestinatio* habet rationem ex parte effectus. »

Imo 4. ex hoc ipsa prædestinatio rationalis et justa dicitur. Si ratio autem spectaret unice effectum prout est in rerum natura, quomodo ex hoc ipsa prædestinatio rationalis et justa dici posset? Exsecutio quidem temporalis rationalis et justa dici posset nullatenus vero ipsa prædestinatio, hanc tamen ipsam rationalem et justam prædicat Doctor noster, eo quod habet rationem ex parte effectus.

Juvat hic etiam obiter animadvertere, ex hoc loco iterum apparere Angelicum non agnovisse duplex diversum decretum prædestinationis ejusdem objecti. Patet enim hoc tum ex modo quo quæstionem de causa prædestinationis ex doctrina generali de voluntate divina solvit, tum ex eo quod loquatur de prædestinatione spectata ex parte effectus ut contradistincta a prædestinatione considerata ex parte actus divini, in qua distinctione per prædestinationem spectatam ex parte effectus necessario intelligenda est omnis prædestinatio terminative sumpta. Accedit tandem modus generalis loquendi de prædestinatione terminative spectata, qui fuisset obscurus et erroneus si duplicem diversam prædestinationem agnovisset.

Ad solvendas difficultates porro progrediens Aquinas eamdem ac in corpore articuli ingeminat doctrinam. Prima difficultas erat hæc : Videtur dicendum præscientiam meritorum esse causam prædestinationis « primo per glossam Ambrosii, quæ habetur super epistolam ad Romanos, ubi hæc verba ex persona Dei proponit : Dabo illi gratiam quem

scio ad me toto corde post errorem reversurum; sed propositum dandi gratiam dicitur prædestinatio. Ergo videtur quod præscientiam meritorum præsupponat. » Respondet Angelicus : « In illis verbis Ambrosii non designatur, quod opus nostrum sit causa voluntatis divinæ, neque etiam, quod sit causa ipsius dationis gratiæ, sed solum dispositio quædam, ut hoc intelligatur non de opere sequente gratiam (sanctificantem) quod virtutem merendi (de condigno) habet a gratia : et neque causa ejus est neque dispositio ad ipsam, sed de opere præcedente, quod est dispositio ad gratiam. Illi enim Deus *proponit* gratiam infundere, quem *præscit* se ad gratiam præparaturum (ope gratiæ actualis) : non tamen propter præparationem, quæ non est sufficiens causa gratiæ (utpote de congruo tantum non vero de condigno et proprie eam merens) nec finis voluntatis ejus, sed propter bonitatem suam. Vult tamen quod iste habeat gratiam, quia præparavit se secundum modum loquendi, quo dicitur quod dat sibi gratiam quia præparavit se ut conjunctio denotet dispositionem et non causam. Sed respectu actus volendi (i. e. actus divini in se) non potest designare neque dispositionem neque causam, non enim ideo voluit quia iste præparavit se, sed solum quia bonus est. » Sicut igitur in ipsa temporali exsecutione opus nostrum ex gratia actuali factum, licet non sit proprie causa meritoria seu meritum condignum (1) gratiæ sanctifi-

(1) Apud S Thomam meritum simpliciter dictum est tantum meritum condignum, cui debetur merces tamquam retributio justitiæ (1, 2, q. 114. a. 1 in corp.), seu in quo invenitur æqualitas ad præmium secundum rectam æstimationem (2, Dist 27, a. 3 in corp.). Hoc sensu meritum intelligi ab Angelico quoties de illo loquitur simpliciter legenti illam quæstionem 114 et distinctionem 27 manifestum erit. Hinc constanter negat S. Doctor merita præcedere gratiam sanctificantem, cum in hac fundetur omne meritum condignum atque ideo negat pariter prædestinationem gratiæ etiam formaliter sanctificantis præsupponere præscientiam meritorum. Non negat tamen S. Thomas, peccatorem se posse ope gratiæ actualis disponere ad infusionem gratiæ sanctificantis et per hoc eam de congruo mereri. Ait enim 2, Dist. 27, a. 4 ad 4 : « indignum potest sumi

cantis, præcedit tamen eam tamquam præparatio ac dispositio, ita etiam idem illud opus in præscientia Dei præcedit propositum infundendi gratiam sanctificantem seu prædestinationem ipsius, non quidem ut causa actus prædestinantis in se, neque ut causa proprie meritoria prædestinationis qua terminatæ ad gratiam sanctificantem, sed ut præscita dispositio ad gratiam. « Illi enim Deus proponit gratiam infundere quem præscit se ad gratiam præparaturum; » « propositum autem dandi gratiam, arguebat in objectione, dicitur prædestinatio, » quod non improbat in responso sed verum supponit, quodque cæteroquin etiam per se manifestum est. Sicut autem prædestinatio gratiæ sanctificantis præsupponit non quidem merita (condigna) præscita sed præscientiam dispositionis ad infusionem gratiæ prærequisitæ, ita prædestinatio gloriæ, quippe quæ datur meritis, supponit præscientiam meritorum. « Sed tamen sciendum, scribit S. Doctor ibidem ad 2, quod *prædestinatio respectu ultimi effectus habet rationem justitiæ distributivæ, scilicet respectu gloriæ.* Et *ideo* possumus dicere, quod Deus dat isti gloriam et non illi, quia iste meruit et non ille; et *similiter vult, quod iste habeat et non ille, quia iste dignus est et non ille.* Sed respectu primi effectus scilicet gratiæ habet rationem magis liberalitatis quam justitiæ; quia gratia datur gratis et non redditur meritis (condignis si agitur de gratia sanctificante). Unde ex parte recipientis non est assignare causam, quare dignus sit gratia, sed solum dispositionem quamdam. » Prædestinatio

dupliciter, vel negative tantum et sic Deus dat gratiam (sanctificantem) indignis, quia his qui non sunt sufficienter ad hoc digni; sed tamen habent aliquam dispositionem ad recipiendum, ex quo dicuntur quodam modo *ex congruo gratiam mereri*, nec ex hoc sequitur quod sit injustus (Deus dans talibus gratiam), sed liberalis. » Idcirco quoque non negat, sed e contra, uti vidimus, clarissime affirmat prædestinationem gratiæ sanctificantis præsupponere prævisionem dispositionis ad eam. Inde tamen minime sequitur, sive infusionem gratiæ sanctificantis sive ejusdem prædestinationem esse actum justitiæ, sed est utraque actus magis liberalitatis.

itaque gloriæ æque ac ipsius collatio habet rationem justæ retributionis, ideoque utraque fit propter merita. Denique in fine articuli ad 5, totam hanc doctrinam brevissima simul ac limpidissima sententia complectens, ait Aquinas : « *In intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera non quasi causam voluntatis* (divinæ in se), *sed sicut causam meritoriam gloriæ et sicut præparationem ad gratiam.* » Ex hoc solo articulo patet, immerito dixisse Gonet : « D. Thomam gratuitam prædestinatorum electionem ad gloriam ita expresse docuisse, ut de ejus mente dubitare sit in media veluti luce cæcutire (1). »

Ab hac sua doctrina tam clare expressa ne latum unguem recedit Angelicus Doctor in Summa Theologica, ultimo ac præclarissimo summi ipsius ingenii monumento. Etenim 1, q. 23, a. 5 idem omnino docet. Eamdem ac in præcedenti loco movet quæstionem : « utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis. » Antequam ad enodandam quæstionem gressum facit, præmittit tamquam solutionis fundamentum principium æqualitatis ordinis exsecutionis et prædestinationis salutis : « *sicut salvos nos fecit* (Deus) *ita et prædestinavit nos salvos fieri.* » Hisce præmissis, S. Doctor in primis dilucide, more suo, definit sensum quæsiti, non quæri scilicet utrum prædestinatio ex parte actus divini seu *entitative spectata*, sed utrum prædestinatio ex parte effectus seu *terminative sumpta* habeat rationem in meritis nostris. « Cum prædestinatio, inquit, includat voluntatem, ut supra dictum est (a. 4 hujus quæst.) sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio divinæ voluntatis. Dictum est autem... quod non est assignare causam divinæ voluntatis ex parte actus volendi; sed potest assignari ratio ex parte volitorum, in quantum scilicet Deus vult esse aliquid propter aliud. Nullus ergo fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita

(1) Clyp. Theol. Thomist. de Prædest. Disp. 2, Art. 1, § 6.

esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Sed hoc *sub quæstione vertitur utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam. Et hoc est quærere utrum Deus præordinaverit se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua.* » Luculentissime itaque circumscripta quæstione, suæ doctrinæ viam munit rejiciendo tres opiniones erroneas, quæ ponebant aliquod meritum extra gratiam prædestinatam causam ipsius gratiæ et consequenter totius effectus prædestinationis in complexu spectati. Prima nimirum opinio Origenis ejusque sequacium statuebat causam prædestinationis gratiæ merita ab animabus præexistentibus in altera vita parata, altera Pelagianorum merita naturalia hujus vitæ atque gratiam præcedentia, tertia tandem, ad errores semipelagianorum pertinens, merita non absolute sed conditionate futura. His absolutis, quæstionem solvit S. Doctor scribens : « Dicendum est ergo quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo *in particulari;* et sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius; posteriorem quidem prioris secundum rationem causæ finalis; priorem vero posterioris secundum rationem causæ meritoriæ, quæ reducitur ad dispositionem materiæ; sicut si dicamus *quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis*, et quod præordinavit se daturum alicui gratiam ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus *in communi.* Et sic impossibile est quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra; quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem totum comprehenditur sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam. » Hic clare enuntiatur, prædestinationem gloriæ terminative sumptam fieri propter prævisa merita supernaturalia. Disertissime enim dicit S. Doctor, prædestinationis quidem terminative et complete spectatæ nullam ex parte hominis esse

causam meritoriam, cum hæc deberet esse aliquid extra totam seriem effectuum prædestinatorum eoque ipso extra omnem gratiam proindeque ad supernaturalem salutem nihil pertinens. Si vero consideratur prædestinatio ut terminata ad aliquem particularem effectum puta gloriam, juxta Angelicum nihil prohibet, quominus dicatur fieri ex prævisis meritis supernaturalibus. Verba Aquinatis, quando loquitur de causa meritoria gloriæ, necessario accipienda esse de gloria prout tamquam terminus subest ipsi prædestinationi sine totius textus turbatione negari nequit. Sufficit inspicere sensum quæstionis ab ipso Angelico clarissime definitum. Quærit autem : « utrum *præscientia* meritorum sit causa *prædestinationis,* » hancque quæstionem ita declarat ut ejus sensus sit, non quidem utrum ex parte ipsius actus divini, sed « utrum ex parte effectus *prædestinatio* habeat aliquam causam. » Quæstio igitur procedit de *ipsa prædestinatione* ex parte effectus seu *terminative sumpta.* Ergo etiam responsum de eadem prædestinatione intelligendum est. Quando itaque S. Doctor asserit, nihil prohibere quominus dicamus : « quod Deus *præordinavit* se daturum alicui gloriam ex meritis, » evidenter loquitur de *ipsa præordinatione seu prædestinatione* gloriæ *ex meritis*, nam, fatente ipso Angelico, quærere : « utrum ex parte effectus *prædestinatio* habeat aliquam causam » nihil aliud est quam « quærere utrum Deus *præordinaverit* se daturum effectum prædestinationis alicui propter merita aliqua, » quibus parallela omnino sunt verba responsi : « *Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis*, » consequenter hæc enuntiant causam meritoriam ipsius præordinationis seu prædestinationis gloriæ. Ideoque post declaratum sensum quæstionis transiens ad refellendas opiniones erroneas, continuo subdit S. Doctor : « fuerunt igitur quidam qui dixerunt quod effectus prædestinationis *præordinatur* alicui *propter merita* præexistentia in alia vita. » Patet ergo ex ipsa quæstione et toto

contextu S. Thomam loqui de gloria prout subest ipsi præordinationi seu prædestinationi divinæ.

Quo magis appareat, quam verum sit Doctorem nostrum in præsenti loco agere de causa effectus prædestinati non prout est in temporali exsecutione sed prout formaliter est terminus æternæ prædestinationis, utile erit sequentes in confirmationem adducere considerationes. 1. Si responsum S. Doctoris intelligendum foret de effectu prædestinationis materialiter tantum et in se non vero formaliter et ut termino prædestinationis spectato, in eo ne verbo quidem tetigisset propositam quæstionem, quæ erat de causa *prædestinationis.* » 2. Præmittens doctrinam generalem de voluntate divina, secundum quam et de prædestinatione judicandum est, animadvertit Angelicus, quia voluntatis divinæ ex parte ipsius actus volendi nulla potest esse causa sed tantum ipsi potest assignari aliqua ratio ex parte voliti seu terminative sumptæ, etiam de prædestinatione solum quæri potest, utrum ex parte effectus habeat aliquam causam. In tali autem contextu plane manifestum est agi de prædestinatione terminative sumpta. 3. Prædestinatio spectata ex parte effectus ut contradistincta a prædestinatione considerata ex parte actus per se necessario significat prædestinationem terminative sumptam. Ceteroquin 4. si S. Doctor nomine prædestinationis spectatæ ex parte effectus intellexisset tantum effectum prædestinationis materialiter sumptum, ideoque nomine prædestinationis consideratæ ex parte actus intellexisset prædestinationem tum entitative tum terminative sumptam, non potuisset dicere, hoc unum sub quæstione verti, utrum prædestinatio ex parte effectus habeat aliquam causam, multoque minus dicere potuisset, neminem nisi sit insanæ mentis prædestinationi ex parte actus spectatæ posse assignare rationem in meritis nostris. Est itaque undequaque manifestum, S. Thomam in præsenti articulo loqui de effectu prædestinationis considerato formaliter seu

ut termino ipsius prædestinationis. Quando igitur dicit S. Doctor : nihil prohibet quominus dicamus « quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, » illud necessario intelligendum est de causa meritoria ipsius prædestinationis seu præordinationis gloriæ, sicut in loco parallelo Ep. ad Rom. VIII, lect. 6 jam antea dixerat : « quod Deus prædestinet aliquos, quia præscit eos bene operaturos, *rationabiliter* diceretur si prædestinatio respiceret tantum vitam æternam, quæ datur meritis. »

Huic interpretationi non obstat, uti putat Billuart (1), quod S. Doctor dicat, gloriam esse causam meritorum secundum rationem causæ finalis. Hoc enim a nemine negatur et optime componitur cum prædestinatione ejusdem gloriæ propter merita. Etenim Deus nullis adductus hominum meritis sed ineffabili liberalitate homines ad beatitudinem supernaturalem fecit eosque in Adamo lapsos ad eamdem misericorditer reparavit per Christum, simulque eadem liberrima ac misericordi voluntate constituit ut hanc felicitatem bonis operibus ex gratia paratis promererentur. Ut hunc suum finem assequi possint Deus omnibus, nullis eorum præcedentibus meritis, præparat media sufficientissima, aliis quidem talia quæ ex ipsorum ignavia ac prava voluntate prævidet fore inefficacia, aliis vero ex speciali benevolentia et inscrutabili judicio talia quæ prævidet conjungenda cum effectu. Omnium igitur mediorum ac beneficiorum salutarium, quæ homini ab æterno præparantur et in tempore conferuntur, causa finalis est gloria; inde vero minime sequitur gloriam ratione prius prædestinari quam gratias ac bona merita, sed solum Deum ratione prius conditionate et serio intendere hominis gloriam et ex hac intentione conditionata ipsi præparare gratiam, qua mereatur gloriam. Quinimo, cum S. Doctor expresse doceat prædestinationem ex

(1) De Deo, Diss IX, Art. 5, § 3.

parte gloriæ pendere a meritis tamquam a causa meritoria, intentio gloriæ præcedens præscientiam meritorum non potest esse nisi conditionata. Hinc etiam diversa omnino ratione, ut scite ad hunc locum animadvertit Card. Franzelin (1), loquitur S. Doctor de præordinatione gloriæ et de præordinatione gratiæ; illam enim Deus « præordinavit se daturum *ex meritis,* » hanc vero præordinavit se daturum alicui *ut mereretur gloriam.* » Non enim dicit, Deum præordinare gratiam ex *absoluta* intentione gloriæ, sed gloriam esse homini præstitutam promerendam et ex hac intentione *conditionata* Deum ipsi prædestinare gratiam.

Nec ullius momenti est, quod ad infringendam vim illorum S. Thomæ verborum : « Sicut si dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis » scribit idem Billuart (2) : « Non dicit præordinavit ex meritis seu propter merita sed se daturum ex meritis seu per viam meriti, ita ut tò *ex meritis* afficiat tò *dare* et non tò præordinare, sicque merita ingrediantur hanc præordinationem non ut motivum sed ut effectus. » Hæc dico nullius ponderis sunt. Nam primo in illa sententia S. Thomæ etiam per se inspecta verba : *ex meritis* saltem æque referri possunt ad vocabulum : *præordinavit* quam ad vocem : *daturum.* Atqui ubi per se duplex potest esse sensus, ille sane accipiendus est, quem postulat totus contextus et scopus auctoris. Jam autem ex toto contextu et scopo S. Doctoris manifestum esse, ipsum loqui de causa effectus prædestinati non uti est in temporali exsecutione sed prout formaliter est terminus ipsius prædestinationis, paulo supra abunde ostendimus. Ergo illis verbis : *ex meritis* necessario intelligi debet expressum motivum ipsius prædestinationis gloriæ terminative sumptæ. Sed secundo ponamus modo, quod vult Billuart, illa verba : ex

(1) De Deo Uno, Thes. 64.
(2) L. c.

meritis in sententia S. Thomæ directe referri ad gloriam ut dandam in tempore. Nihil inde proficiet. Quodnam enim est objectum præordinationis divinæ seu voluntatis Dei præordinantis? Est gloria actu conferenda *ex meritis* seu *propter merita*, exprimi enim hisce verbis causam meritoriam gloriæ nimis manifestum est; nam illis determinat S. Doctor, quomodo « prior effectus prædestinationis possit dici causa posterioris secundum rationem *causæ meritoriæ.* » Objectum ergo voluntatis præordinantis non est beneficium mere gratuitum, non enim præordinat dare gratis sed propter merita. Atqui actus divinus *qua relatus ad objectum* desumit suam proprietatem ab objecto, secus enim omnes actus Dei terminative sumpti essent ejusdem prorsus rationis, cum unice distinguantur ratione diversorum terminorum. Ubi igitur objectum non est gratuitum, neque actus divinus ad illud terminatus qua talis gratuitus esse potest. Quia ergo gloria ut *actu conferenda* non est gratuita sed propter merita, etiam omnis actus Dei ad illam ut actu conferendam relatus, et consequenter præordinatio non mere gratuita sed propter merita fieri censenda est. Verbis itaque S. Thomæ, posito etiam sensu quem vult Billuart, æque exprimitur si non immediate saltem mediate causa meritoria gloriæ in prædestinatione ac in ipsa temporali exsecutione. Hinc etiam haud intelligitur quomodo cohæreant illa duo, quibus decretum absolute intentivum gloriæ affirmando ac negando cum suis explicat laudatus Billuart (1) : « Deus *gratis vult* dare (gloriam), sed *non* vult *dare gratis.* » « Licet enim voluntas dandi gloriam, ait Gonet (2), sit *ante prævisa merita, non* tamen est voluntas dandi *sine meritis,* sed *per merita* et bona opera ab ipsa præparanda : unde effectus illius (voluntatis intentivæ) ad extra est gloria in exsecutione ex meritis com-

(1) De Deo, Diss. 9, Art. 5 in prænotandis ante § 1 in fine.
(2) Clyp. Theol. Thomist. de Prædest. Disp 2, a 2, § 2.

municata. » Hæc duo enim videntur implicare repugnantiam. Etenim objectum voluntatis divinæ absolute intendentis non est mera gratia, non enim Deus gloriam vult dare gratis, et nihilominus actus divinus ut relatus ad hoc objectum, qui ab aliis actibus divinis unice distinguitur ratione ipsius hujus termini, est mere gratuitus. Quæ repugnantia ut melius appareat, ponamus duos actus divinos quos circa eamdem gloriam distinctos statuunt Adversarii : decretum intentivum, quo Deus *gratis vult* dare gloriam et decretum collativum quo *propter merita vult* dare gloriam. Quæro ab ipsis : undenam distinctio istorum duorum actuum? Vel est ratione ipsius actus divini in se vel ratione objecti seu termini; primum dici nequit, ergo hoc alterum necessario dicendum est. Atqui terminus utriusque est prorsus idem, non enim gloria intenditur in abstracto sed *in concreto tali homini*, pro quo est merces et præmium. Repugnat igitur illa distinctio, quia illius nulla est ratio. Optime intelligo, quomodo voluntas Dei *conditionata* dandi gloriam sit prorsus gratuita, quia ejus objectum scilicet gloria danda homini *si* eam meretur ut talis est mera gratia, procedens ex ineffabili Dei bonitate, qua elevavit totam naturam humanam ad finem supernaturalem. Gloria enim conferenda sub conditione meritorum qua talis seu quamdiu pendet illa conditio nulla præsupponit merita absoluta estque proinde ut talis prorsus gratuita. Deus potuisset utique relinquere homines in puris naturalibus et eos non elevare ad finem supernaturalem utpote humanæ naturæ prorsus indebitum. Insuper sicut ex mera bonitate illos elevavit ad beatitudinem supernaturalem potuisset etiam ipsis præstituere eam assequendam independenter a meritis, tunc utique sicut ipsa collatio gloriæ fuisset independens a meritis etiam ejus prædestinatio prorsus gratuita fuisset. In ordine autem historico Deus libere elevando homines ad beatitudinem supernaturalem, simul libere ordinavit ut adulti eam non nisi per merita consequerentur;

posita jam hac ordinatione divina. gloria ut actu conferenda adultis non est mere gratuitum beneficium sed merces ac præmium ideoque omnis actus absolutus divinæ voluntatis respiciens gloriam adulti actu secuturam mere gratuitus censeri nequit. Unde vanum effugium quærit Billuart (1), quando ad hanc primæ objectionis ex Tournelio desumptæ propositionem minorem : « corona et præmium non potest intendi nisi propter merita » respondet : « Nego minorem. Deus enim voluntate antecedente intendit omnibus gloriam ut coronam, etenim omnes ordinat ad gloriam per merita obtinendam, et tamen, fatentibus etiam adversariis, eam non intendit propter merita prævisa. » Objectum enim intentionis *absolutæ* est gloria *actu conferenda*, quæ ut talis est propter merita, objectum autem intentionis *conditionatæ* est gloria danda *sub conditione meritorum*, quæ ut talis profecto non est propter merita secus non esset sub conditione meritorum. Hanc differentiam voluntatem conditionatam inter et voluntatem absolutam ipse Billuart in simili materia optime explicat. In tractatu enim de Incarnatione, Diss. 3, Art. 3, progrediens ad secundam probationem sequentis conclusionis : « Unicum motivum Incarnationis fuit Redemptio generis humani ; unde Adamo non peccante Verbum non fuisset incarnatum vi præsentis decreti, » ait : « Non datur in Deo decretum efficax Incarnationis nisi in statu Redemptoris et passibilitatis; atqui utrumque supponit peccatum ut motivum, ut fatentur Adversarii; Ergo vi præsentis decreti etc. Min. patet. Prob. Major. Licet decretum *conditionatum* et inefficax respiciens *solum impositionem ordinem in rebus*, quale est v. g. voluntas antecedens salvandi omnes homines, feratur ad rem secundum se consideratam et in communi, *abstrahendo a circumstantiis singularisantibus et a statu assiquibilitatis*, secus tamen decretum efficax et

(1) De Deo, Diss. 9, Art. 5, § 4.

*absolutum*, quod respicit non solum ordinem in rebus *sed rerum exitum et in statu assiquibilitatis;* atqui Christus secundum eventum rei et in statu assiquibilitatis fuit Redemptor et passibilis. Ergo (1). »

III. In memoriam reducatur Angelici doctrina de voluntate Dei salutifera, in qua jam velut in principio clare continetur adultorum prædestinatio ad gloriam post prævisa merita supernaturalia. « Prædestinatio enim est quædam directio in finem (salutem) quam facit ratio a voluntate (salutis) mota » (de Verit. q. 6, a. 2 in corp.). In prædestinatione igitur includitur voluntas salutis prædestinatorum, imo illa secundum mentis considerationem præsupponit hanc voluntatem et absolvitur actu intellectus *dirigente* in salutem, in qua directione juxta S. Thomam *formaliter* consistit prædestinatio. Voluntas autem illa salutis in intellectu prædestinationis inclusa non est voluntas conditionata et antecedens prævisionem operum, utpote quæ omnes omnino complectitur homines et in multis non sortitur effectum; sed est voluntas absoluta ac consequens, quæ respicit opera tamquam dispositionem ad gratiam sanctificantem et causam meritoriam

(1) Sensit ipse Billuart ex hac sua doctrina difficultatem oriri contra antecedentem adultorum electionem ad gloriam pariter a se admissam. Idcirco subjungit ibidem : « Dices : electio v. g. Petri ad gloriam est decretum efficax : atqui tamen non attingit in objecto omnes circumstantias. Ergo. » Respondet autem : « Dist. Maj. Electio Petri ad gloriam est decretum efficax finis, C. Mediorum, N. Ad Min. similiter, non attingit in objecto omnes circumstantias mediorum explicite, C. Sufficit enim quod talem finem decernat per media convenientia obtinendum ; Omnes circumstantias finis et subjecti finalisati, N. »

Ast juxta principium supra enuntiatum electio Petri adulti ad gloriam est decretum absolutum et efficax finis prout est « in rerum exitu et statu assiquibilitatis, » ideoque est decretum glorificationis Petri in statu *remunerati ac coronati.* Atqui hoc supponit *merita tamquam motiva* sicut status Redemptoris et passibilitatis in Christo incarnato supponit peccatum ut motivum. Ergo sicut præsens decretum Incarnationis supponit peccatum ita pariter præsens decretum glorificationis adulti supponit merita.

gloriæ. Hoc etiam in expositione suæ de prædestinatione doctrinæ Doctor noster expresse docet atque inculcat. Postquam enim, ut supra vidimus, in 1, Dist. 41, a. 3 docuerat, prædestinationem ex parte effectus habere rationem in operibus nostris tamquam disponentibus ad gratiam sanctificantem et merentibus gloriam, totum istum articulum concludit scribens ad 5 : « *in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens, quæ respicit opera non quasi causam voluntatis* (divinæ in se) *sed sicut causam meritoriam gloriæ et præparationem ad gratiam.* » Hæc brevissima Aquinatis sententia, sicut universim ipsius doctrina de voluntate Dei salutifera, ostendit, quantopere S. Doctor sibi persuasum habuerit prædestinationem incompletam gloriæ consequi prævisionem meritorum supernaturalium. Quod enim respondent Adversarii, quando ipsis hæc S. Thomæ opponuntur verba, illa nimirum intelligenda esse non de prædestinatione in ordine intentionis sed unice de prædestinatione in ordine exsecutionis (1), minime congruit menti ac verbis S. Doctoris. Nam :

1. Ipsa distinctio duplicis diversæ prædestinationis ejusdem objecti, sicut jam per se videtur omnino fictitia, ita etiam adversatur doctrinæ S. Thomæ. Recolantur dicta in paragrapho præcedenti.

2. Ista insuper interpretatio cum ipsis verbis eorumque contextu componi nequit. Etenim : *a)* S. Thomas, alibi data opera disserens de voluntate salutis, quam in prædestinatione includi hic docet, distinguit voluntatem secundum quid et voluntatem simpliciter, illa complectitur homines ad unum omnes, hæc vero non nisi eos qui actu salvantur. Illam dicit antecedentem et conditionatam, quia respicit solam naturam humanam absque singulorum dispositionibus et operibus, quæ requiruntur ad rectum ordinem in salutem, hanc

(1) Cf. Billuart, de Deo, Diss. 9, Art. 5, § 3.

autem absolutam et consequentem, quia respicit singulorum dispositiones et opera, sub quibus æterna salus ex ordinatione divinæ sapientiæ est exsecutioni mandanda. Hæc voluntas absoluta et consequens, contradistincta a voluntate antecedente ac conditionata sane complectitur *omnem* voluntatem absolutam salutis. Quando igitur S. Thomas docet, « in prædestinatione includi voluntatem consequentem, » hoc de *quavis* voluntate absoluta salutis sive intendente sive exsequente intelligatur necesse est. *b)* Interpretationi Adversariorum quoque obstat clarissimus totius articuli contextus, qui totus in eo est, ut distincta voluntate prædestinante ex parte actus et prædestinatione ex parte effectus illi nulla quidem extra Deum, huic vero varia pro diverso ejus effectu principali ex operibus nostris attribuatur ratio. Jam vero ab ista voluntate prædestinante, cui ex parte effectus assignatur ratio, non posse excipi ullam voluntatem prædestinantem terminative sumptam supra prosecuti sumus et plane manifestum videtur. Illam autem voluntatem prædestinantem terminative sumptam eamdem esse ac voluntatem consequentem, quam ibidem ad 5 in prædestinatione inclusam dicit, inspecto toto orationis ductu profecto negari nequit. Demum *c)* ipsa verba, collata objectione ad quam continent responsum, explicationem Adversariorum penitus excludunt. Objectio, quam sibi solvendam proposuerat Aquinas, est hæc : « Prædestinatio est voluntas salutis hominis non tantum ut intelligatur de voluntate *antecedente*, *quia hac voluntate vult omnes homines salvos facere,* ut dicit Damascenus, sed de voluntate *consequente.* Cum igitur voluntas consequens respiciat merita, videtur quod præscientia meritorum sit causa prædestinationis. » Huic difficultati respondet verbis supra descriptis : « in intellectu prædestinationis *includitur voluntas consequens*, *quæ respicit opera* non quasi causam voluntatis, sed *sicut causam meritoriam gloriæ et præparationem ad gratiam.* » Ad quæ si quis animum atten-

dat, non video quomodo negare possit, in hoc responso doceri prædestinationem gloriæ terminative sumptam, quocunque demum sensu intelligatur, esse ex voluntate consequente prævisionem operum gloriam merentium, nisi absurde dicere velit, intentionem absolutam gloriæ apud S. Thomam esse voluntatis antecedentis, qua Deus juxta ipsum S. Doctorem omnes salvos fieri vult.

Idem tradit Angelicus Doctor de Verit. q. 6, a. 2 ad 2 : « prædestinatio includit voluntatem *consequentem*, quæ respicit aliquo modo id quod est ex parte nostra, non quidem sicut inclinans divinam voluntatem ad volendum (quod facit sola Dei bonitas) sed sicut id ad cujus productionem divina voluntas gratiam ordinat, vel etiam *sicut id quod ad gratiam* (sanctificantem) *quodammodo disponit et gloriam meretur.* »

IV. Cum præcedenti Angelici doctrina consertum est, quod docet idem S. Doctor 3, q. 1, a. 3 ad 4, prædestinationem videlicet præsupponere præscientiam futurorum, quæ ex parte creaturæ liberæ reali existentiæ effectus prædestinati tamquam motivum prærequiruntur. Ut plene intelligamus doctrinam, in illo loco enuntiatam, ipsam objectionem, quam inibi diluit S. Doctor, primum rite perspectam habeamus oportet. Contra doctrinam igitur, quam in corpore illius articuli amplectitur ac probat Angelicus : Deum nempe incarnatum non fuisse si homo non peccasset, ibidem sub 4 sequens proponit argumentum : « Prædestinatio Dei est æterna. Sed dicitur (Rom. I, 4) de Christo : Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Ergo etiam ante peccatum necessarium erat Filium Dei incarnari ad hoc quod Dei prædestinatio impleretur. » Sensus perspicuus hujus objectionis hic est : prædestinatio Incarnationis Verbi est *æterna* ac proinde antecedens peccatum protoparentis utpote in tempore futurum. Atqui ista prædestinatio, cum sit decretum Dei absolutum et efficax, *necessario est implenda.* Ergo etiam *ante* peccatum vi istius decreti *antecedentis* necesse erat

Filium Dei incarnari, et consequenter Incarnatio evenisset etiamsi homo non peccasset. Porro hoc argumentum sequenti modo solvit Aquinas : prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, licet ergo decretum Incarnationis præcedat peccatum in propria natura existens, hoc tamen illud ratione antecedit, prout Deo in æterna præscientia jam est præsens; ideoque ante peccatum non fuit necessarium Filium Dei incarnari, quia non nisi consequenter ad prævisionem peccati Incarnatio fuit absolute decreta in remedium peccati. Verba S. Doctoris sunt hæc : « Ad quartum dicendum, quod *prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum : et ideo sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati.* » Pauca hæc verba ostendunt, Angelicum Doctorem usque ad vitæ suæ terminum in eadem doctrina constanter perstitisse; illis enim clarissime enuntiatur principium prædestinationis gloriæ consequentis prævisionem meritorum supernaturalium. Principium solutionis S. Thomæ hoc est : « prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, » aliis verbis, si effectus prædestinatus ut impleatur præsupponit aliquod opus creaturæ liberæ, intuitu cujus Deus beneficium prædestinatum in tempore confert, ipsa prædestinatio hujus beneficii pariter ratione prius præsupponit præscientiam istius operis. Ex hoc principio concludit S. Doctor : sicut salus alicujus hominis, quæ in tempore impletur per orationes aliorum, prædestinatur adimplenda per istas orationes seu consequenter ad earum prævisionem; ita pariter opus Incarnationis, quod in executione pendet a peccato humano, fuit prædestinatum in remedium peccati seu præcedente prævisione peccati remediandi. Insistentes huic S. Doctoris principio inferimus, gloriam adulti, quæ in executione præsupponit merita supernaturalia quorum intuitu datur, prædestinari etiam consequenter ad eorumdem meritorum prævisionem.

Sensum a nobis exhibitum esse genuinum intellectum verborum S. Thomæ cuique ipsa verba diligenter inspicienti manifestum esse debet. Etenim *quia* « prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, *ideo* sicut Deus prædestinat salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam, ita etiam prædestinavit opus incarnationis in remedium humani peccati. » Quemnam alium sensum, quæso, ista verba in tali contextu habere possunt quam hunc : sicut prædestinatio salutis alicujus hominis fit consequenter ad prævisas orationes aliorum, quibus salus istius hominis est implenda in tempore, ita pariter prædestinatio Incarnationis facta est post prævisum peccatum, in cujus remedium Incarnatio est futura? Hic unus sensus liquido fluit ex sententia, quam S. Doctor velut principium suæ solutionis præstituit. Qui sensus insuper luculenter apparet ex consideratione objectionis. Hæc autem desumitur ex eo, quod prædestinatio Incarnationis, cum utpote *æterna* et *absoluta* antecedat peccatum, quod est temporale, sitque necessario implenda, etiam ante peccatum implenda fuisset. Talis objectio non potest solvi nisi duobus modis, quorum unus alterum excludit. Primus modus solvendi est : licet prædestinatio Incarnationis præcesserit peccatum, nihilominus Incarnatio non debuit fieri etiam peccato non existente, quia sicut Deus ex eo, quod prædestinat salutem alicujus hominis implendam per orationes aliorum, etiam consequenter prædestinat istas orationes, quibus effectus prædestinatus impleatur, ita pariter ex eo, quod prædestinavit Incarnationem in remedium peccati, consequenter permissionem istius peccati absolute decrevit. Alius modus solvendi est : quia prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, ideo sicut Deus salutem alicujus hominis per orationes aliorum implendam prædestinat post prævisas istas orationes, ita etiam Incarnationem fiendam in remedium peccati non nisi post prævisum peccatum prædestinavit, proindeque Incarnatio in tempore tantum erit in

remedium peccati in propria natura existentis et ante peccatum non erat necessarium Filium Dei incarnari. Jam vero non illum sed hunc alterum solvendi modum adhibet S. Thomas, ideoque primum prorsus excludit. Utrumque autem membrum responsi S. Doctoris, ex præstituto principio ducti, eodem sensu esse accipiendum profecto negari nequit. Est enim utrimque illatio ex eodem principio, imo posterius ex priori explicatur atque illustratur.

Hisce parallela sunt, quæ jam antea scripserat Angelicus Doctor in 1, Dist. 41, a. 4 ad 2. Quærens enim ibidem : « utrum prædestinatio juvetur aliquo opere humano », in corpore articuli, distincta prædestinatione ex parte actus a prædestinatione ex parte effectus, docet illam quidem nullo modo hanc vero varie posse adjuvari opere humano et nominatim totum effectum prædestinationis alicujus hominis, proprie ac stricte sumptum prout nempe denotat beneficia salutaria recepta in ipso prædestinato, orationibus aliorum tamquam merito congruo adjuvari posse. Contra hanc doctrinam similem ac in supra laudato loco ibidem sub 2 movet difficultatem : « Illud, quo posito vel remoto nihilominus manet effectus, non videtur juvare ad consecutionem effectus; sed ex quo prædestinatio ponitur esse alicujus, sive aliquis oret pro eo sive non oret salvabitur, quia prædestinatio irrita esse non potest, ergo videtur quod omnino nihil juvet ad salutem ejus. » Eodem prorsus modo ac supra respondet Aquinas : sicut effectus prædestinationis in exsecutione pendet ab opere humano realiter existente, ita quoque idem ille effectus in ipsa prædestinatione pendet ab eodem opere præscito. En responsum S. Doctoris : « Ad secundum dicendum quod in argumento supponitur falsum. Si enim Stephanus pro persecutoribus non orasset, forte Paulus salvus non fuisset (nec proinde prædestinatus fuisset), sicut si aliquis non faceret opera meritoria non acciperet coronam, quæ prædestinata est sibi. *Nec tamen prædestinatio frustrari*

*potest, quia præscitum est a Deo, quod iste tali causa et tali ordine salvabitur.* Unde sicut est incompossibile prædestinationi, quod iste non salvetur, ita est etiam sibi incompossibile quod non fuerit oratum pro eo, quamvis utrumque in se sit possibile non esse. »

Omnia illa, quæ pro prædestinatione gloriæ post prævisa merita ex S. Thoma deprompsimus, illustrari ac confirmari possunt ex modo, quo S. Doctor 3, q. 24, a. 4 in corp. docet et probat, prædestinationem Christi esse causam nostræ prædestinationis. « Dicendum, inquit, quod si consideretur prædestinatio secundum ipsum prædestinationis actum, prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis, cum uno et eodem actu Deus prædestinaverit ipsum et nos. Si autem consideretur *prædestinatio secundum terminum prædestinationis*, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Sic enim Deus præordinavit nostram salutem, ab æterno prædestinando, ut per Jesum Christum compleretur. *Sub prædestinatione enim æterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam modus et ordo secundum quem est complendum in tempore.* » Facta itaque *eadem* distinctione inter prædestinationem *entitative* et prædestinationem *terminative* sumptam ac aliis in locis, ubi pariter de causa nostræ prædestinationis erat quæstio, docet S. Doctor, illius minime quidem hujus vero causam esse prædestinationem Christi. Hujus doctrinæ iterum assignatur *idem fundamentum*, æqualitas nempe ordinis prædestinationis et exsecutionis salutis; prædestinatio enim Christi est causa nostræ prædestinationis terminative sumptæ quia « sub prædestinatione æterna non solum cadit id quod est fiendum in tempore, sed etiam *modus et ordo* secundum qnem est complendum in tempore. »

Quæ hucusque prosecuti sumus in scriptis Angelici Doctoris omnino clara et aperta videntur, quare ex illis, præsertim si conjuncte spectantur, merito concludere licet, quod

probare aggressi sumus, S. Thomam prædestinationi gloriæ seorsum sumptæ post prævisa merita supernaturalia suffragari. Non enim semel tantum aut unica ratione sed multoties et variis modis hanc doctrinam docet atque inculcat. Eam implicite tradit tam in clarissima doctrina de voluntate absoluta salutis hominum consequente præscientiam ipsorum dispositionum et operum, quam in principio proximo æqualitatis ordinis prædestinationis et exsecutionis salutis humanæ. Eam supponit tum quando docet gloriam æternam non esse gratuitam nisi in gratia ceu radice merendi, tum quando gratuitatem prædestinationis non ex gratuitate gloriæ sed ex gratuitate gratiæ unice repetit. Eam demum luculentissime declarat quando pluribus docet, gloriam etiam qua prædestinatam habere rationem meritoriam in operibus gratiæ, prædestinationem includere voluntatem consequentem, quæ respicit opera tamquam causam meritoriam gloriæ, prædestinationem præsupponere præscientiam futurorum, quæ ex parte creaturæ liberæ ad effectus prædestinati impletionem tamquam motivum prærequiruntur.

## CAPUT II.

### EXPENDUNTUR ET ENODANTUR EA, QUÆ IN SCRIPTIS S. THOMÆ EXPOSITÆ IPSIUS DOCTRINÆ CONTRARIA VIDERI POSSUNT.

Quum S. Thomas prædestinationem gloriæ post prævisa merita tam clare docuerit variis principiis ac sententiis, quæ, ut ostendimus, non aliam congruam recipiunt explicationem, si quis alibi contrarium apud ipsum inveniret expressum, S. Doctor secum ipso pugnare omnino dicendus foret. Absit autem ut splendidissimum illum Theologorum solem hac macula adspergamus! Quis tamen, animum attendens ad solitam Angelici de prædestinatione completa disserendi

rationem, miretur, quædam doctrinæ capita ac quædam effata apud ipsum inveniri, quæ prædestinationi gloriæ post prævisa merita prima fronte adversari videntur? Hæc vero, si, uti interpretis munus est, solitus iste disserendi modus sedulo præ oculis habeatur simulque in singulis locis contextus ratio ducatur, explicationem congruam et doctrinæ Aquinatis mox expositæ non adversam haud ægre recipiunt. Institutum nostrum postulat, ut singula illa sedulo perpendamus et accurate examinemus. Ut autem in hisce difficultatibus enodandis ex ordine progrediamur, expendemus primo duo doctrinæ capita et secundo singulares quosdam textus, quibus Adversariis gratuita prædestinatio gloriæ a S. Doctore enuntiari videtur.

### § 1. *Examinatur et cum exposita doctrina componitur duplex S. Thomæ doctrinæ caput.*

Inveniuntur in Angelici doctrina de prædestinatione duo capita, quæ prædestinationi gloriæ post prævisa merita omnino opposita videri possent. Unum est ipsius doctrina *de ordine inter dilectionem, electionem et prædestinationem*, alterum doctrina *de certitudine prædestinationis*. Hæc duo itaque singillatim excutiamus oportet.

#### I. EXPLICATUR S. THOMÆ DOCTRINA DE ORDINE INTER DILECTIONEM, ELECTIONEM ET PRÆDESTINATIONEM.

Docet Angelicus, loquens de ordine inter dilectionem, electionem et prædestinationem, dilectionem qua Deus aliquibus absolute vult salutem tamquam finem et electionem qua vult salutem aliquibus præ aliis quos reprobat mentis consideratione præcedere prædestinationem, utpote rationem ordinationis aliquorum in finem salutis. Unde videtur docere

S. Doctor, Deum in negotio prædestinationis prius absolute velle ipsam æternam hominis beatitudinem tamquam finem, et ex hac voluntate antecedente ipsi prædestinare gratias ac bona merita tamquam media promoventia in finem. Scribit enim 1, q. 23, a. 4 in corp. : « Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem et electio dilectionem. Cujus ratio est quia prædestinatio, ut dictum est, est pars providentiæ. Providentia autem, sicut et prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem... Non autem præcipitur aliquid ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis. Unde prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem, ad quod pertinet electio et dilectio. Dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ. Nam diligere est velle alicui bonum... Electio autem in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobat, ut supra dictum est. » Idem docet 1, Dist. 41, q. 1, aa. 1 et 2; item de Verit. q. 6, a. 1.

Hæc S. Doctoris verba Adversariis videntur omnino clare enuntiare, salvandorum electionem ad gloriam seorsum sumptam ante prævisa quæcunque ipsorum bona opera. Ast non vident talem interpretationem adversa fronte pugnare cum clarissima ipsius Aquinatis doctrina de voluntate Dei salvifica. Hanc enim voluntatem data opera explanans eamque dispescens in voluntatem salutis conditionatam ac absolutam, ad quam ultimam profecto pertinet etiam electio, hanc non antecedere sed consequi prævisa hominum salvandorum dispositiones et opera liquidissime docet atque inculcat. Jam vero præpostera nobis videtur ista Adversariorum interpretandi ratio, dum, quæ Angelicus tradit, ubi de voluntate salvifica data opera disserit, minime curantes, ipsius doctrinam de voluntate salutis determinare volunt ex illis locis, in quibus non de voluntate salvandi per se considerata, sed de ordine eam inter et prædestinationem formaliter spectatam unice

disputat; præsertim cum ipse S. Doctor pro intelligentia voluntatis salutis, cujus ordinem ad prædestinationem exponit, suam voluntatis salvificæ explanationem supponat ad eamque nos remittat. Sequentes itaque obviam ac naturalem interpretandi normam et obsecundantes monito ipsius Angelici Præceptoris, nos ad suam voluntatis salutiferæ remittentis explicationem, ex hac in antecessum certissime inferimus laudatorum articulorum non illum posse esse sensum quem volunt Adversarii.

Interpretatio Adversariorum in illis ipsis articulis manifeste excluditur. Etenim : 1. hoc patet ex ipsis verbis, quæ ex articulo 4, q. 23, P. I mox retulimus. Ait enim ibidem S. Doctor : « prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem quod Deus illorum velit salutem, ad quod pertinet dilectio et electio. Dilectio quidem in quantum vult eis hoc bonum salutis æternæ... *Electio autem in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cum quosdam reprobat ut supra dictum est.* » Si in hisce verbis per electionem intelligitur electio antecedens ad beatitudinem æternam in se, etiam reprobatio necessario intelligenda est de antecedente reprobatione ab ipsa beatitudine in se. Secus enim actus ille, quo Deus aliquorum vult salutem, esset unice assumptio illorum in salutem seu simpliciter dilectio neutiquam vero electio, quippe quæ notionem *discretionis respectu ejusdem boni* essentialiter involvit. Atqui adultorum reprobatio ab ipsa beatitudine in se apud S. Thomam non est nisi reprobatio *positiva*, quod cæteroquin pro statu historico per se manifestum videtur. Etenim in articulo præcedenti ejusdem quæstionis, ad quem hic remittit, notionem reprobationis sequenti modo determinat. Sicut prædestinatio est pars providentiæ, qua creatura rationalis efficaciter ordinatur in finem suum ultimum qui est salus æterna, ita etiam reprobatio est pars providentiæ, quæ non excludit omnem defectum a creaturis sed quasdam sinit a fine suo deficere.

Unde divina providentia quatenus permittit aliquos a fine deficere dicitur reprobatio. Cum autem defectio a fine vitæ æternæ inchoetur per culpam et compleatur ac ordinetur per pœnam damnationis, sicut assecutio salutis inchoatur per gratiam, qua homo in eam dirigitur et completur per gloriam, qua ad ipsum finem applicatur in ejusque actualem possessionem a Deo mittitur, hinc providentia respectu culpæ et pœnæ æternæ dicitur reprobatio, sicut providentia respectu gratiæ et gloriæ dicitur prædestinatio. Quapropter concludit ibidem S. Doctor : « sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam et gloriam, *ita reprobatio* (præter præscientiam) *includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam et inferendi damnationis pœnam pro culpa.* » Duo itaque juxta S. Thomam importat reprobatio, voluntatem scilicet permittendi ea quibus homo meretur privationem æternæ salutis et voluntatem privandi eum, supposita culpa finali, ipsa æterna beatitudine per pœnam damnationis. Manifestum est autem hoc alterum solum pertinere ad reprobationem ab ipsa æterna salute in se spectata, primum enim est reprobatio a salute inchoata seu reprobatio a gratia et bonis meritis, quibus homo jam in hac vita ineffabiliter cum Deo conjungitur atque præparatur ad hujus unionis complementum, quod in altera vita tamquam præmium meritorum accipit per gloriam. Si igitur in verbis S. Thomæ per electionem intelligeretur electio ad ipsam æternam beatitudinem in se antecedens omnem prævisionem operum, sequeretur S. Doctorem docuisse antecedentem reprobationem positivam, quod sane nemo contenderit. Hoc unum satis ostendit, verba Angelici non posse intelligi de antecedente dilectione et electione ad finem æternæ salutis in se spectatum.

2. S. Thomas in illis ipsis locis, quorum intellectum modo quærimus, dilectionem et electionem disertissime ita declarat, ut æque ac prædestinatio habeant pro termino *collationem gratiæ et gloriæ* utque, quatenus referuntur ad gloriam

seorsum sumptam, ad *voluntatem salutis consequentem* pertineant. *a)* Electionem, proindeque et dilectionem, apud Aquinatem æque ac prædestinationem respicere gratiam simul ac gloriam ex ipsis citt. artt. jam satis superque ostendimus supra in prænotandis sub IV^to^. Recolantur itaque ibidem dicta. Quo magis autem appareat, genuinum istorum vocabulorum illum esse sensum, quem inibi ex ipso S. Doctore stabilivimus, hic quædam adjungere juvabit. In tribus illis operibus, in quibus Angelicus de ordine inter dilectionem, electionem ac prædestinationem data opera disserit, stabilito hoc ordine continuo transit ad tractandam in articulo *proxime* sequenti quæstionem : « utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis. » Ibi constanter solutioni hujus quæstionis præmittit, quia, *ut supra dictum est*, prædestinatio includit voluntatem salutis, sic inquirenda est ratio prædestinationis sicut inquiritur ratio divinæ voluntatis. In tali autem contextu hæc voluntas in prædestinatione inclusa non potest esse alia quam voluntas diligens atque eligens, quam S. Doctor in proxime antecedentibus declaraverat mentis consideratione prædestinationi præsupponi. Hanc autem voluntatem salutis in prædestinatione inclusam esse voluntatem *gratiæ et gloriæ* in singulis illis articulis diserte declarat. Sic 1, q. 23, *a.* 5, proposita quæstione supra dicta, in corpore articuli principio dicit : « cum prædestinatio includat voluntatem, *ut supra dictum est*, (nimirum a. 4, ubi de dilectione et electione) sic inquirenda est ratio prædestinationis, sicut inquiritur ratio divinæ voluntatis. » Terminum autem hujus voluntatis porro determinans ait ibidem infra : « *quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam.* » Imo pro hac voluntate prædestinante ibidem ad 3 subjicit ipsam electionem, dum, quærens tum in generali rationem *prædestinationis* aliquorum ac reprobationis aliorum tum in particulari prædestinationis horum et reprobationis illorum,

ait : « quare *hos elegit* in gloriam et illos reprobavit non habet rationem nisi divinam voluntatem. » Electionem enim in hac sententia intelligi voluntatem prædestinantem totum effectum prædestinationis conjuncte sumptum ex contextu manifestissimum est, ut in § sequenti hæc verba explicaturi ostendemus. Similiter 1, Dist. 41, q. 1, *a.* 3 eamdem tractat quæstionem et, pariter præmonito de essentia prædestinationis esse voluntatem salutis, de qua in duobus articulis proxime antecedentibus fuerat locutus, ideoque quæstionem propositam solvendam esse ex doctrina generali de voluntate Dei, terminum voluntatis salutis iterum designat *gratiam et gloriam.* Unde quoque ibidem ad 5, respondens ad hanc objectionem : prædestinatio est voluntas salutis non antecedens utpote universalis sed consequens, atqui hæc respicit merita, ergo videtur præscientia meritorum esse causa prædestinationis, ait : « in intellectu prædestinationis includitur voluntas consequens quæ respicit opera... sicut causam meritoriam gloriæ et sicut præparationem ad gratiam. » Demum de Verit. q. 6, *a.* 2 eamdem iterum movens quæstionem clarissime enuntiat, voluntatem finis seu salutis, quam articulo antegresso mentis consideratione prædestinationem antecedere dixerat, esse voluntatem gratiæ et gloriæ. Inquisiturus enim causam prædestinationis scribit ibidem in corpore : « ad inveniendum prædestinationis causam, oportet accipere *quod prius dictum est* (a. 1) scilicet quod prædestinatio est quædam directio in finem, quam facit ratio a voluntate (finis seu salutis) mota : unde secundum hoc potest esse aliquid prædestinationis causa, prout potest esse voluntatis motivum. » Quibus præmissis ex doctrina generali de voluntate divina inquirens, utrum ista voluntas finis seu salutis proindeque et prædestinatio habeat aliquam causam in meritis prævisis, concludit : « perfectio gratiæ et gloriæ sunt hujusmodi bona, quod sine eis natura esse potest, unde quod Deus velit alicui dare *gratiam et gloriam* hoc ex mera liberalitate procedit... unde causa

prædestinationis nihil est aliud quam bonitas ipsius Dei. » Ex hoc uno articulo plane manifestum est, apud S. Thomam voluntatem finis seu salutis sive dilectionem et electionem habere pro termino gratiam et gloriam. Quando igitur Angelicus in supra citatis articulis docet, dilectionem et electionem secundum rationem præcedere prædestinationem, hæc dilectio et electio intelligenda est *conjunctim de voluntate salutis inchoatæ per gratiam et completæ per gloriam*, cum ipse S. Doctor eam hoc sensu amplissime explicet. Hæc perbelle cohærent cum universa ipsius doctrina de voluntate Dei salvifica et nominatim cum doctrina ab ipso expressa 1, Dist. 47, q. 1, a. 1, ubi docet voluntatem salutis perfici in particulari circa quod est operatio, ideoque voluntatem absolutam respicere salutem hominis in particulari prout de facto confertur per gratiam et gloriam, et consequenter quoad ipsum effectum æternæ salutis respicere dispositiones et opera, quibus aliquis sufficienter ordinatur ad salutem. Explicatio autem Adversariorum, sicut repugnat declarationi clarissimæ ipsius S. Thomæ, ita etiam cum hac doctrina neutiquam componi potest.

*b)* Sicut autem Angelicus pluribus docet, dilectionem et electionem complecti totam seriem beneficiorum a prima gratia usque ad gloriam, quibus Deus homini salutem de facto confert, ita quoque et quidem in ipsis supra dictis articulis declarat, electionem, ideoque et dilectionem, præsertim quatenus respicit gloriam, pertinere *ad voluntatem salutis consequentem*, quæ ex manifesta ipsius explanatione respicit opera supernaturalia tamquam causam meritoriam gloriæ. Etenim 1, q. 23, a. 4 ad 3 solvens hanc difficultatem : « electio quamdam discretionem importat, sed Deus vult omnes homines salvos fieri... Ergo prædestinatio, quæ ordinat homines in salutem, est absque electione, » scribit Aquinas : « dicendum quod sicut supra dictum est Deus vult omnes homines salvos fieri *antecedenter*, quod non

est simpliciter velle sed secundum quid, non *autem consequenter*, quod est simpliciter velle. » Voluntas itaque antecedens et conditionata, quæ antevertit hominum bonum vel malum meritum prævisum, nondum discernit inter actu salvandos et non salvandos; hæc enim discretio quoad ipsum effectum æternæ salutis est ex voluntate consequente, quæ supponit præscientiam operum. Similiter de Verit. q. 6, a. 2, ubi S. Doctor uti vidimus voluntatem finis seu salutis quæ est ipsa dilectio et electio declarat esse voluntatem gratiæ et gloriæ, hanc voluntatem diligentem et eligentem in prædestinatione inclusam ad voluntatem salutis consequentem pertinere docet. « Prædestinatio, inquit ibidem ad 2, includit voluntatem (salutis) *consequentem*, quæ respicit aliquo modo id quod est ex parte nostra... sicut id quod ad gratiam quodammodo disponit *et gloriam meretur.* » Item 1, Dist. 41, q. 1, a. 3 ad 3 disertissime dicit : « in intellectu prædestinationis includitur voluntas *consequens*, quæ respicit opera... *sicut causam meritoriam gloriæ.* » Voluntatem autem hanc salutis esse voluntatem diligentem ac eligentem non solum ex contextu, ut paulo supra notavimus, constat et per se manifestum videtur, sed etiam ex consideratione objectionis, quam inibi solvit Angelicus, plane liquet. Hinc quoque 1, Dist. 41, q. 1, a. 1 in corp. expresse docet Aquinas, electionem ad gloriam per se et formaliter spectatam præsupponere in eligendis prævisam discretionem ex gratia, ideoque esse voluntatis consequentis « quæ præsupponit præscientiam operum quasi rationem voliti. » (1, Dist. 46, q. 1, a. 1 in corp.). « Potest accipi, ait, quod *electio* uno modo est æterna, alio modo est temporalis, si enim accipitur secundum quod est *in proposito* ipsius Dei sic est æterna : *quia ab æterno voluit bonos a malis segregare in gloriam.* »

Est itaque ex multiplici ac liquidissima declaratione ipsius S. Thomæ certissimum, dilectionem ac electionem in illis articulis, de quibus agitur, non respicere tantum salutem

quatenus confertur per gloriam, sed æque ac prædestinationem referri ad salutem quatenus in toto suo complexu efficitur per gratiam et gloriam, et non secus quam hanc ad voluntatem salutis consequentem pertinere. Hæc tria igitur dilectio, electio et prædestinatio ibidem apud Angelicum non distinguuntur ratione terminorum ad quos referuntur, sed *unice ratione respectus formalis ad eumdem terminum*, qui hisce tribus diversus inesse concipitur, quod de mutua habitudine dilectionis et electionis jam per se manifestum est. *Formaliter* enim *dilectio* est actus voluntatis quo Deus alicui vult salutem per gratiam et gloriam, *electio* est idem actus, quatenus Deus vult hæc beneficia et in ipsis salutem *uni præ alio, prædestinatio* est eadem hæc dilectio et electio quatenus *formaliter est ordinatio in salutem* cum certo eventu. Secundum hunc ergo sensum dicit S. Doctor in artt. citt., dilectionem præcedere electionem et electionem prædestinationem. Prima enim mentis consideratione est dilectio utpote in suo conceptu formali simplicior, subsequitur electio quippe quæ addens dilectioni quam includit notam discretionis in suo formali conceptu est plenior, ultima demum venit prædestinatio, quæ duo priora includit atque ex ipsis addita notione infallibilis directionis in finem in pleno suo conceptu formali absolvitur. Omnes igitur prædestinati diliguntur et eliguntur a Deo, quia prædestinatio utpote infallibilis ordinatio in salutem includit et mentis consideratione præsupponit voluntatem salutis et quidem eatenus consideratæ quatenus in ipsis beneficiis prædestinatis continetur. Ideoque cum prædestinatio simpliciter dicta seu completa complectatur et gratiam, qua hominis salus inchoatur, et gloriam qua consummatur, ea includit ac mentis consideratione præsupponit voluntatem finis seu salutis inchoatæ per gratiam et completæ per gloriam. Salus enim æterna est illud bonum quod Deus diligendo et eligendo aliquibus tantum vult conferre. Est autem collatio hujus salutis opus,

quod Deus sicut ab æterno voluit ita etiam ab æterno formaliter prædestinavit, concipiendo practice rationem istius operis fiendi in tempore. Istud opus Deus efficit per multiplicia dona, quæ ad gratiam et gloriam revocantur. Est itaque illud opus opus Dei, homini enim desunt vires quibus aliquid ex se ipso ad illud conferat; licet ergo homo etiam suæ saluti adlaborare ac proinde isti operi divino cooperari teneatur, nihilominus a Deo misericorditer præveniatur oportet ab ipsoque concurrendi vires accipiat. Patet igitur istud opus in suo complexu esse opus gratuitæ voluntatis Dei, quæ quatenus formaliter vult efficere hoc opus per gratiam et gloriam est dilectio et electio et quatenus in ordine ad intellectum divinum eadem illa dona formaliter ad certam illius exsecutionem dirigit est prædestinatio. Illa autem, haud secus ac ipsum opus quod est eorum effectus, in complexu sunt prorsus gratuita; nedum enim rationem habeant ex bono invento in homine, e contra sunt causa efficiens omnis boni conducentis ad salutem adeoque et ipsius salutis.

Nostra explicatio, quæ liquido fluit ex amplissima declaratione ipsius S. Doctoris, etiam belle cohæret cum ipsa notione prædestinationis quam tradit Angelicus. Prædestinatio enim juxta S. Thomam formaliter constituitur et absolvitur actu intellectus, cujus est ordinare homines in salutem, quod audit prædestinatio. (De Verit. q. 6, a. 1). Non est autem actus speculativus, sed actus *scientiæ practicæ* et quidem practicæ in actu secundo, qua Deus hominem efficienter ordinat in salutem (ibidem). Scientia autem Dei fit solum practica in actu secundo per adjunctam divinam voluntatem, quæ voluntas proinde in scientia practica includitur eique tamquam unum ex constituentibus ipsam mentis consideratione præsupponitur. Hinc S. Doctor constanter docet, prædestinationem, licet formaliter sit actus intellectus, includere tamen ac supponere voluntatem salutis. Indeque fit, ait, « ut propositum et alia ad voluntatem pertinentia in

definitione prædestinationis quandoque ponantur. » Ad hanc enim objectionem : « dicit Augustinus prædestinatio est propositum miserendi, sed propositum est voluntatis, ergo et prædestinatio, » respondet de Verit. q. 6, a. 1 ad 1 : « in actibus animæ ita est quod præcedens actus includitur quodammodo virtute in sequenti, et quia prædestinatio præsupponit *electionem* quæ est in actu voluntatis, *ideo in ratione prædestinationis aliquid includitur ad voluntatem pertinens,* et propter hoc propositum et alia ad voluntatem pertinentia in definitione prædestinationis quandoque ponuntur. » Prædestinatio igitur coalescit ex voluntate ac intellectu divino versantibus circa *eumdem terminum,* atque ideo definiri recte potest per actum voluntatis, licet melius definiatur per actum rationis in quo formaliter consistit. Ita a S. Augustino recte potuit definiri prædestinatio : *propositum miserendi;* quod propositum sive electio est propositum « conferendi ea sine quibus miseria esset » (1, Dist. 40, q. 2 ad 3) ad quæ profecto pertinet tum gratia tum gloria.

Licet autem illa tria dilectio, electio et prædestinatio prædicto ordine sese excipiant, quando plene spectantur et relata ad *completum* suum terminum, quemadmodum S. Thomas ea considerare solet et ea manifeste considerat in supra citt. artt., vel quando ad minus plenum sed eumdem referuntur terminum; non idem tamen dicendum foret, si ad diversum terminum relata invicem compararentur. Cum enim dilectio, electio et prædestinatio complete sumptæ respiciant omnia beneficia salutaria a prima gratia usque ad gloriam, quibus salus hominis inchoatur, gradatim perficitur atque completur, pro ratione diversorum beneficiorum dispesci et sic minus vel magis plene accipi possunt. Sicut prædestinatio potest spectari vel præ sola gratia, vel præ sola gloria vel demum complete præ gratia simul ac gloria, ita pariter dilectio et electio multimodis considerari possunt. Ordo autem, quem ex S. Thoma inter dilectionem, elec-

tionem et prædestinationem stabilivimus, non obtinet nisi quando illa tria ad eumdem completum vel incompletum referuntur terminum; si enim electio e. g. spectaretur præ sola gloria et prædestinatio præ gratia tantum, hæc ex disertissima Angelici doctrina illam præcedere omnino dicenda foret. Est enim ista electio ad gloriam formaliter et per se sumptam juxta S. Doctorem actus voluntatis salutis consequentis, supponitque in eligendis bonitatem, quam non habent nisi ex prædestinatione gratiæ (1).

Quæ cum ita sint, tota illa Angelici doctrina de ordine inter dilectionem, electionem et prædestinationem, nedum doctrinam de prædestinatione gloriæ ex meritis prævisis infirmet, eam potius confirmat ac illustrat.

Quæ de dilectionis et electionis habitudine ad prædestinationem tradidimus illustrari ac confirmari possunt iis, quæ de ista mutua relatione scribunt Petrus Lombardus, Albertus Magnus et S. Bonaventura, quorum nullus ordinem inter illa tria ita statuit, ut dilectio et electio respiciant finem salutis æternæ per se spectatum, prædestinatio vero media ad istum finem consequenter determinata.

Magister sententiarum 1, Dist. 40, prætermissa subtili quæstione, utrum electionem inter et prædestinationem, licet eumdem respiciant terminum, possit nihilominus assignari quidam ordo secundum formalem conceptum, idem esse electionem et prædestinationem expresse declarat aiens : « Cumque prædestinatio sit gratiæ præparatio, *id est divina electio*, qua elegit quos voluit ante mundi constitutionem, ut ait Apostolus. »

B. Albertus 1, Dist. 40, a. 19 propositæ quæstioni : « utrum electio secundum rationem intelligentiæ sit ante prædestinationem vel post, » respondet : « dicendum mihi videtur quod electio absolute sumpta præcedit prædestinationem...

(1) Cf. Franzelin, de Deo Uno, Thes. 64.

et dilectio simpliciter dicta præcedit utrumque, et hoc sic patet : dilectio declinat ad separandum unum ab alio, et ad dirigendum in finem salutis; ergo præcedit dilectio electionem et electio prædestinationem ex parte diligentis et eligentis et prædestinantis. Similiter dilectio est boni, electio autem finaliter boni, prædestinatio autem boni finaliter et in finem salutis directi. Et sic patet qualiter objectum unius addit super objectum alterius, et sic iterum dilectio prior et simplicior est electione et electio prædestinatione. »

Omnium clarissime ac in eumdem prorsus, quem supra ex S. Thoma exposuimus, sensum ordinem propositi seu dilectionis, electionis et prædestinationis declarat Doctor Seraphicus 1, Dist. 40, a. 3, q. 2 ad 2 : « Notandum quod in Deo idem sunt propositum, prædestinatio et electio secundum rem, tamen differunt secundum rationem intelligendi. Nam propositum simpliciter dicit voluntatem faciendi aliquid. Ille enim dicitur proponere qui firmiter vult facere aliquid. Electio vero et prædestinatio addunt supra voluntatis conceptionem sed differenter, quia prædestinatio addit ordinem et directionem in finem, sed electio discretionem sive separationem a suo opposito. Unde propositum dicit firmam voluntatis conceptionem, prædestinatio cum conceptione dicit præordinationem, et electio quamdam discretionem. Secundum ergo hoc patet, quod propositum est prius secundum rationem intelligendi, et deinde electio (demum prædestinatio) ; quia prius est intelligendum aliquid separari a malo sive a malitia (per dilectionem et electionem) quam dirigi in finem (formaliter per prædestinationem), et sic patet diversitas et ordo. »

### II. EXPLICATUR S. THOMÆ DOCTRINA DE CERTITUDINE PRÆDESTINATIONIS.

Expeditis illis quæ ordinem inter dilectionem, electionem et prædestinationem spectant, examinanda et explicanda

venit alia S. Thomæ doctrina de certitudine nempe prædestinationis. Distinguit S. Doctor de Verit. q. 6, a. 3 duplicem prædestinationis certitudinem, præscientiæ alteram, alteram ipsius ordinis prædestinationis in se. « Prædestinatio, inquit, quia præscientiam includit et habitudinem causæ ad ea quorum est, addit in quantum est directio sive præparatio quædam, et sic potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis certitudo ordinis. » Hanc certitudinem ordinis in prædestinatione inventam explicaturus pergit Aquinas : « Ordo prædestinationis est certus non solum respectu universalis finis, sed etiam respectu particularis et determinati : quia ille qui est ordinatus per prædestinationem ad salutem numquam deficit a consecutione salutis. Nec tamen hoc modo certus est ordo prædestinationis, sicut erat ordo providentiæ, quia in providentia ordo non erat certus respectu particularis finis, nisi quando causa proxima necessario producebat effectum suum, in prædestinatione autem invenitur certitudo respectu singularis finis, et tamen causa proxima, scilicet liberum arbitrium non producit effectum illum nisi contingenter. Unde difficile videtur concordare infallibilitatem prædestinationis cum libertate arbitrii. Non enim potest dici quod prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addit nisi certitudinem præscientiæ, ut si dicatur quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, *sicut et quemlibet alium*, sed hoc de prædestinato scit quod non deficiet a salute; sic enim dicendo non diceretur prædestinatus *differre a non prædestinato ex parte ordinis*, sed tantum ex parte præscientiæ eventus et sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per *electionem prædestinantis*, quod est contra auctoritatem scripturæ et dicta sanctorum ; unde præter certitudinem præscientiæ *ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* »

Præter certitudinem præscientiæ itaque duo juxta S. Thomam prædestinationi inesse debent. Primum ex parte ipsius

prædestinationis *objective* sumptæ *certus ordo in salutem*, quo prædestinatus infallibiliter dirigitur in salutem et quo differt a non prædestinato, qui non tali ordine in salutem dirigitur, sed e contra a salute deficere permittitur. Cum hoc primo consertum est illud alterum, ex parte prædestinantis nempe talem ordinem *specialis dilectio erga prædestinatum seu misericors ejus a non prædestinato electio.* Examinemus oportet, utrum hæc duo concordari possint necne cum prædestinatione gloriæ ex meritis. Utrumque igitur penitius inspiciemus et quidem exordium capiendo ab ultimo.

1. Juxta S. Thomam non sufficit dicere, Deum tam prædestinatos quam non prædestinatos æqualiter et eodem modo ordinare in salutem, destinando ipsis omnibus ordinem gratiarum sufficientium, cum quibus possunt bene operari, in bono perseverari et sic mereri ac consequi æternam salutem; ita ut Deus in præparanda tota serie gratiarum usque ad ultimum vitæ halitum indifferenter se habeat erga omnes, ac tantum, supposita pro unoquoque tota serie gratiarum indifferenter præparata, sequatur vel perseverantia finalis in bono vel obstinatio finalis in malo, hocque diverso eventu supposito succedat nostro concipiendi modo in Deo præscientia et voluntas salutis aliquorum perseverantium scilicet finaliter in bono, et præscientia ac voluntas damnationis aliorum in finali peccato decedentium. Hoc enim modo Deus non magis efficeret salutem eorum, qui de facto salvantur, quam illorum qui, licet gratiis paratis salvari potuissent, reipsa tamen ad salutem non perveniunt, sed ab ea sua culpa deficiunt. Cum autem salus hominis sit opus divinum, quod Deus operatur per gratiam suam in homine, ex viribus gratiæ libere cooperante, et Deus nihil faciat in tempore quod non præstituit ac præordinavit ab æterno, necessario dicendum est, ipsum non solum prævidere eventum salutis, sed eam operari *prædestinatione gratiæ.* Hoc est quod docet etiam alibi S. Doctor : « Sicut providentia divina respectu ipsius boni quod est per

consecutionem gratiæ et gloriæ *cum præscientia eventus* dicitur prædestinatio, ita providentia divina respectu mali oppositi cum præscientia defectus dicitur reprobatio. Et quia bonum subjacet providentiæ ut *causatum et ordinatum*, ideo dicitur quod *prædestinatio est causa gratiæ et gloriæ*, ad quam ordinatur; sed quia malum non subjacet providentiæ ut intentum vel causatum sed solum ut *præscitum* et ordinatum, ideo reprobatio est tantum præscientia culpæ et non causa; sed pœnæ, per quam culpa ordinatur est præscientia et causa. » (1, Dist. 40, q. 4, a. 1 in corp.).

Est ergo attendendum magnum discrimen in prædestinatione et reprobatione. Non enim hæc duo hoc unice differunt, quod Deus, prævidens cujusque merita vel demerita finalia, illa ordinet decernendo peccatoribus pœnam, justis vero vitam æternam. Sed dicendum, Deum prædestinatione gratiæ causare in homine bona merita eaque ordinare per gloriam, atque ita operari ejus salutem per prædestinationem gratiæ et gloriæ; contra vero ipsum nullatenus causare peccata, sed ea prævisa voluntate tantum consequente ordinare per pœnam, atque ita neutiquam intendere et operari interitum hominis. Præter præscientiam igitur exitus salutis admittendum est in Deo propositum seu electio, qua ex certa scientia vult ac præparat talia beneficia, quibus omnes salvandos certo ducit ad salutem.

Deus enim, propter sincerum ac operosum desiderium salutis omnium hominum, voluntate antecedente omnes gratias eo dirigit, ut homo bene operetur ac salutem mereatur. Verumtamen dum tales destinat gratias, quas videt ex prava hominis voluntate fore inefficaces, simulque non vult dare alias, uti posset, cum quibus videt, si darentur, illum bene operaturum, voluntas illa Dei antecedens non transit in absolutam effectus; sed imo in ista voluntate dandi gratias licet prævisas inefficaces et non dandi alias includitur voluntas permittendi resistentiam et culpam. E contra

in destinatione gratiarum, cum et sub quibus Deus videt hominem libere consensurum, eo ipso quod est voluntas dandi gratias certo habituras effectum ad quem destinantur, jam includitur voluntas absoluta effectus, et per tales gratias Deus prædestinatos ordinat in salutem. Per tales gratias ex certa scientia facit ut prædestinati bene operentur ac in bono usque ad finem perseverent; ideoque destinando ipsis tales gratias eos non quomodocunque tantum ordinat ad salutem sed eos certo in eam dirigit. Hinc facile intelligitur ex parte prædestinantis talem gratiarum ordinem specialis providentia ac misericors electio prædestinatorum. Sicut enim quævis gratia habitura effectum semper moraliter majus beneficium est quam gratia ex culpa hominis prævisa inefficax, certo certius majus beneficium est ordo gratiarum certo nexus cum finali perseverantia, quam ordo gratiarum ex culpa hominis prævisus finaliter inefficax. Hinc, quibus Deus prædestinat ordinem gratiarum connexum cum finali perseverantia, præstat majus beneficium quam aliis quos non ita ordinat ad salutem, ideoque illos specialiter diligit et eligit ab hisce aliis.

Si igitur spectatur dilectio Dei, quatenus refertur ad omnia beneficia salutaria in hac mortali vita actu conferenda, sine ullo dubio hæc dilectio prorsus specialis est erga omnes prædestinatos. Complectitur enim iste ordo gratiarum pro prædestinatis dona omnino singularia ipsisque solis propria et in primis finalem perseverantiam, magnum illud donum ex misericordi Dei voluntate non quidem sine respectu ad liberam adultorum ex gratia et cum gratia cooperationem præparatum. Quæ perseverantia, licet « suppliciter emereri » possit, est tamen gratuitum donum Dei, tum quia nemo eam de condigno mereri potest, tum quia nemo nequidem de congruo mereri potest primam gratiam, a qua ejus impetratio inchoatur.

Deinde intelligitur quoque in præparatione talis ordinis

gratiarum specialis dilectio et misericors « electio prædestinantis » *antecedens* præscientiam *absolutam* meritorum. Cum Deus sincere velit omnium omnino hominum salutem, sibi utique debet, ut omnibus destinet gratias, cum quibus vitam æternam consequi possunt. Liberrima tamen voluntate omnibus quidem sufficienter non omnibus tamen æqualiter, sed uni parcius alteri largius gratuita sua dona communicat. Antequam autem decretum distributionis gratiarum concipit, videt in thesauris omnipotentiæ et sapientiæ suæ modos distribuendi gratias multiplices; videt quid in unoquoque ex istis modis, si institueretur, singuli essent acturi, ac qui proinde in eo cum gratiis paratis cooperaturi pervenirent ad justificationem, et in hac cum gratiis partim ultro oblatis partim promeritis porro perseveraturi salutem consequerentur, qui vero gratiis libere resistendo sua culpa a salute essent defecturi. Sane si quis secum reputet, Deum potuisse ex omnibus istis modis distribuendi gratias eligere quemcunque voluerit, proindeque etiam talem in quo alii omnino ac in præsenti ordine salvarentur, facile intelliget, quomodo Deus, *prælucente tantum scientia conditionatorum* libere eligens determinatum quemdam modum distributionis, ingens conferat beneficium specialemque prorsus ostendat dilectionem iis, qui in hoc ordine sunt salvandi præ aliis qui in eodem sua culpa sunt perituri. Hoc tamen non ita intelligendum est ac si Deus totum aliquem gratiarum ordinem, in quo alii perseverant alii vero non perseverant, eligeret prælucente tantum scientia conditionatorum; omnia enim beneficia salutaria, quæ in isto ordine conferuntur propter merita supernaturalia, etiam non nisi propter eadem merita absolute prævisa conferenda decernuntur. Omnia autem ista merita, ideoque et dona ex iis secutura, in signo priori obversabantur infinitæ Dei scientiæ ut futura, *si* concederentur gratiæ cum et ex quibus comparantur. Specialis itaque illa dilectio antecedens erga prædestinatos non est in

eo, quod Deus prælucente sola scientia conditionatorum, ideoque ante ulla prævisa eorum merita, eligat completum ac definitum aliquem gratiarum ordinem, in quo videt illos solos perseveraturos; sed in hoc, quod nullis eorum adductus meritis pro sapienti beneplacito voluntatis suæ dona sua prorsus gratuita tali modo statuit distribuere, in quo videt pro illis contineri certum ordinem salutis, cum posset illa alio modo distribuere, in quo non illorum sed aliorum certus haberetur ordo salutis. Licet ergo præsens modus distributionis gratiarum sit quidem talis, ut omnes in eo salutem consequi possint, ideoque pendeat a libertate hominis vel elevata quod pro ipso habeat rationem electionis, vel naturali quod non habeat rationem electionis; nihilominus quod Deus velit tali modo distribuere suas gratias, secundum quem videt hunc hominem fore salvum potius quam alio modo, non est ratio in libero consensu hominis, sed in sola misericordi voluntate Dei, qui inscrutabili judicio inæqualiter distribuit dona sua, estque hoc singularis amor, quippe qui, cum auctore S. Thoma 1, q. 20, a. 3 in corp. nihil aliud sit quam « velle bonum alicui, » ex majori bono major esse intelligitur.

Optime itaque sibi constat specialis Dei dilectio erga omnes prædestinatos atque adeo misericors « electio prædestinantis, » quin admittatur electio antecedens ad gloriam. Imo posito, Deum sincere velle omnibus adultis æternam salutem sub conditione finalis perseverantiæ meritoriæ, *prima* Dei dilectio specialis erga prædestinatos atque misericors eorum electio desumi nequit ex eo, quod velit uni præ alio vitam æternam in se; sed repetenda est ex hoc, quod inæqualiter distribuendo gratias suas, in uno præ alio et cum uno potius quam cum alio velit implere istam conditionem, ad cujus impletionem necessario sequitur et qua non impleta non potest sequi electio ad gloriam, seu ex hoc quod, uti dicit S. Thomas, unum præ alio certo ordinat ad salutem.

Non enim potest antecedenter velle uni præ alio gloriam seu vitam æternam in se, quia eo ipso eliminaretur voluntas conditionata salvandi alium et quia voluntas dandi gloriam, posita ordinatione libera dandi illam omnibus et solis in bono perseverantibus cooperatione *morali* cum gratiis divinis, jam non amplius est libera. Sed ex ista libera ordinatione non adstringitur Deus ad determinatum quemdam modum distribuendi suas gratias, ideoque in hac distributione ita se gerere potest, ut, licet nulli deneget sufficientia ac necessaria, non omnibus tamen eodem modo provideat, in qua inæquali igitur distributione specialis unius præ alio dilectio elucescere potest. Hoc est quod toties etiam inculcat S. Augustinus : « quare hunc trahat et illum non trahat noli dijudicare si non vis errare. » (In Joan. tract. 26, n. 2). « Ex duobus jam ætate grandibus impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur ut vocantem sequatur, (non est quia iste est antecedenter electus ad gloriam ille non, sed) inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur, (ratio iterum non est antecedens electio ad gloriam, sed) inscrutabiliora sunt judicia Dei. (De Dono Persev. c. 9).

2. In prædestinatione deinde recte etiam distinguitur a certitudine præscientiæ *infallibilitas ipsius ordinis prædestinati.* Sicut enim generatim scientia qua talis non facit sed præsupponit suum objectum, ita etiam scientia visionis, qua Deus jam videt prædestinatum finaliter perseveraturum, ratione prius hanc veritatem objectivam præsupponit. Atqui prædestinatus perseverat et finaliter meretur æternam salutem per gratias ipsi a Deo destinatas. Ergo scientiæ Dei præsupponitur, objective verum esse prædestinatum per tales gratias collective sumptas finaliter meriturum salutem. Sicut autem objective verum est prædestinatum perseveraturum cum serie gratiarum, dum ipsi absolute concedenda decer-

nitur, ita pariter et quidem ex hoc ipso ratione prius verum erat, eum fore perseveraturum si ipsi talis gratiarum series destinaretur. Cum autem omne verum necessario subsit infinitæ scientiæ Dei, Deus, antequam prædestinationis decretum concipit, cognoscit hominem, si talem ipsi conferret gratiarum seriem, persevaturum ac consequenter perventurum ad salutem. Hinc facile intelligitur, quomodo in ipso illo ordine completo gratiarum sit infallibilitas objective quidem et fundamentaliter ex respectu ad futurum hominis consensum, cognoscitive et formaliter ex scientia conditionatorum et affective ex decreto absoluto voluntatis divinæ volentis gratias prævisas finaliter efficaces præ inefficacibus. Non igitur ista certa connexio ipsius ordinis cum finali perseverantia repetenda est ex physica entitate auxiliorum, quibus iste ordo constat, sed ex *respectu extrinseco*, cui, dum absolute decernitur, substat.

Infallibilitatem ordinis prædestinati ex mente S. Thomæ non esse repetendam ex intrinseca natura auxiliorum, sed e contra ex aliquo respectu extrinseco, hoc ipso in loco haud obscure indicat S. Doctor. Hanc enim infallibilitatem ordinis prædestinati l. c. explicaturus in primis negat, eam consistere in hoc quod causa proxima, quæ in negotio salutis est libera voluntas excitata, aucta ac instructa omnibus adjumentis gratiæ, necessario producat effectum; nam licet effectus ex ordine prædestinato certo sequatur, nihilominus causa proxima illum contingenter producit. « Nec tamen hoc modo certus est ordo prædestinationis, sicut erat ordo providentiæ, quia in providentia ordo non erat certus respectu particularis finis, nisi quando causa proxima necessario producebat effectum suum, in prædestinatione autem invenitur certitudo respectu singularis finis, et tamen causa proxima scilicet liberum arbitrium non producit effectum illum nisi contingenter. » Progreditur deinde Angelicus ad declarandum, quomodo non obstante libertate arbitrii in prædes-

tinatione inclusi ipse ordo prædestinatus sit infallibilis. Hanc autem infallibilitatem repetit non ex insita natura ac physica entitate auxiliorum, sed hac exclusa ex multitudine ac varietate gratiarum, quibus liberum arbitrium ad consecutionem salutis adminiculatur. Audiamus ipsum S. Doctorem. « Invenimus..., ait, ordinem compossibilem esse respectu alicujus dupliciter. Uno modo in quantum una causa singularis producit effectum suum ex ordine divinæ providentiæ. Alio modo quando ex concursu causarum multarum *contingentium et deficere possibilium* pervenitur ad unum effectum, quarum unamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco ejus quæ deficit vel ne altera deficiat; sicut videmus, quod omnia singularia unius speciei sunt corruptibilia, et tamen per successionem unius ad alterum potest in eis secundum numerum salvari perpetuitas speciei, divina providentia taliter gubernante, quod non omnia deficiant uno deficiente; et hoc modo est in prædestinatione, liberum arbitrium deficere potest a salute. Tamen in eo, quem Deus prædestinat (per seriem completam gratiarum), tot alia adminicula præparat (continentur in ista serie præparata), quod vel non cadat, vel si cadat quod resurgat : sicut exhortationes et suffragia orationum donum gratiæ et alia hujusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ scilicet liberi arbitrii non habet certitudinem, sed contingentiam. Respectu autem causæ primæ quæ est prædestinatio habet certitudinem. » Omnia igitur auxilia, quæ continentur in ordine prædestinato, sua natura sunt contingentia, ideoque infallibilitas istius ordinis non oritur ex insita natura ac physica entitate gratiarum per se spectata, cum hæc in omnibus sit defectibilis ac proinde infallibilem connexionem cum eventu fundare nequeat. Nec refert dicere, singula adjutoria prædestinata esse quidem contingentia respectu ultimi ac remoti effectus, finalis scilicet perseverantiæ seu consecutionis

salutis, non vero respectu sui effectus immediati, sed ad hunc producendum sua natura esse determinata. Nam in primis hoc posito ultimum adjutorium non esset contingens respectu effectus finaliter producendi. Insuper quid tum valeret ista multitudo ac varietas auxiliorum ad explicandum, quomodo *non obstante libertate arbitrii* ex ordine prædestinato certo sequatur eventus salutis? Nihil omnino. Sicut enim liberum arbitrium cum singulo auxilio non contingenter produceret proximum ac immediatum effectum, sic nec cum talibus auxiliis multiplicatis contingenter produceret ultimum effectum perseverantiæ. Sensus autem verborum Angelici manifeste hic est : licet liberum arbitrium sit quidem contingens ad operandum salutem et licet eo ipso singula auxilia, sine quibus nihil valet ad salutem, sint pariter sua natura contingentia ad quemcunque actum salutarem proindeque ad ipsam consecutionem salutis; nihilominus liberum arbitrium hominis disponente divina providentia tot ac tam variis adminiculatur auxiliis, ut, licet contingenter, infallibiliter tamen operetur quæ ad salutis consecutionem requiruntur ideoque et ultimum effectum finalis perseverantiæ. Unde intelligitur, quod præmonuerat S. Doctor, « non hoc modo certum esse ordinem prædestinationis, sicut erat ordo providentiæ, » nam sic « in prædestinatione invenitur certitudo respectu singularis finis, et tamen causa proxima scilicet liberum arbitrium non producit illum effectum nisi contingenter. » Ut enim cum infallibilitate prædestinationis simul salvetur libertas arbitrii, necessario dicendum, singula adjutoria ipsi ex prædestinatione præparata esse « contingentia et deficere posse. » Et re quidem vera, cum liberum arbitrium nihil possit ad salutem nisi elevatum et auctum viribus gratiæ, sine quibus in ipso non solum est potentia deficiendi sed imo necessitas, ideoque ex ipsis constituatur causa proxima salutis, si hæ vires ex physica sua natura essent infallibiter determinatæ ad parti-

cularem effectum, non maneret in libero arbitrio elevato et aucto istis viribus potentia deficiendi a salute, ideoque causa proxima non contingenter sed necessario produceret suum effectum. Licet autem ista auxilia, quibus adjuvatur liberum arbitrium ad operandum salutem, sint singula contingentia, nihilominus « ex concursu causarum multarum contingentium et deficere possibilium » certo sequetur assecutio salutis « divina providentia gubernante. »

Certitudinem prædestinationis non esse ex aliqua forma inhærente ipsi prædestinato, adeoque non ex gratiis natura sua physice prædeterminantibus voluntatem, sed resultare istam infallibilitatem in ordinem prædestinatum ex aliquo respectu extrinseco, in eodem hoc articulo declarat Doctor noster. Postquam enim dixerat sub 7 : « cum dicitur quod prædestinatus in peccato mortali potest mori, si accipiatur subjectum prout stat sub forma prædestinationis sic est composita et falsa, si autem accipiatur prout consideratur sine tali forma sic est divisa et vera ; » sub 8 contra illam distinctionem hanc proponit difficultatem : « In formis illis, quæ non possunt removeri a subjecto, non differt utrum aliquid attribuitur subjecto sub forma considerato vel sine forma, utroque enim modo hæc est falsa corvus niger potest esse albus, sed prædestinatio est talis forma, quæ non potest a subjecto vel prædestinato removeri : ergo prædicta distinctio in proposito locum non habet. » Respondet Angelicus : « Nigredo et albedo sunt quædam formæ existentes in subjecto, quod dicitur album et nigrum, et ideo non potest aliquid attribui subjecto nec secundum potentiam nec secundum actum, quod repugnet formæ prædictæ, quamdiu in subjecto manet; sed prædestinatio non est forma existens in prædestinato, sed in prædestinante, sicut et scitum denominatur a scientia, quæ est in sciente. Et ideo quantumcunque immobiliter sit sub ordine scientiæ, tamen potest aliquid attribui ei considerando suam naturam,

etiamsi repugnet ordini prædestinationis; hoc enim modo prædestinatio est aliquid præter ipsum hominem, qui dicitur prædestinatus, sicut nigredo est aliquid præter essentiam corvi, quamvis non sit aliquid extra corvum. Considerando autem tantummodo essentiam corvi potest ei aliquid attribui, quod repugnet nigredini ejus, secundum quem modum dicit Porphyrius, quod potest intelligi corvus albus : et ita etiam in proposito potest ipsi homini prædestinato attribui aliquid secundum se considerato, quod non attribuitur ei secundum quod intelligitur stare sub prædestinatione. » Illud igitur ex quo habetur infallibilitas perseverantiæ in bono ac consequenter salutis non est aliqua forma inhærens ipsi prædestinato, cum qua impossibilis foret mors in peccato, sed est « prædestinatio quæ non est forma existens in prædestinato sed in prædestinante. » Hinc ordo prædestinatus, qui est aliquid receptum in homine, non habet infallibilitatem, nisi quatenus *formaliter* spectatur *ut prædestinatus* seu ut substans divinæ prædestinationi ipsum instituenti. Hoc autem aliter intelligi nequit, quam ut iste ordo salutis concipiatur prædestinatus prælucente infallibili Dei præscientia de futuro eventu. Si enim ille ordo esset certus ratione formæ inhærentis, immobilis atque a Deo unice pendentis, prædestinato non posset attribui mors in peccato non solum quoad actum sed *nec secundum potentiam.* Sublata autem a voluntate potentia ad oppositum per formam inhærentem ab ipsaque minime pendentem, voluntas est independenter a se ipsa *necessario* determinata ad unum, siquidem non potest in oppositum. Quia vero prædestinatio in salutem haud magis quam scientia ponit in prædestinato aliquam formam præviam ad actualem perseverantiam, ex cujus insita natura repugnaret mors in peccato, prædestinatio non alio modo quam præscientia salutis a prædestinato aufert possibilitatem damnationis. « Et ideo quantumcunque immobiliter (prædestinatus) sit

sub ordine scientiæ, tamen potest aliquid attribui ei considerando suam naturam (cum sic per nihil intrinsecum, independens ab ipsa elevata, sit determinata ad unum), etiamsi repugnet ordini prædestinationis. » Idcirco « prædestinatus potest considerari vel ut in se, vel ut divinæ cognitioni relatus : et sic uno modo attribuitur ei quod possit damnari, alio modo non. » (Quodlib. XII, a. 3 ad 2). Unde l. c. de Verit. ad 3 expresse quoque docet S. Doctor, sub ipsa motione, qua Deus in prædestinato certo producit salutem, manere in voluntate prædestinati indifferentiam activam ad utrumlibet. Ad hanc enim difficultatem : « prædestinationi divinæ nihil potest resistere... Si igitur habet certum ordinem ad effectum suum, effectus ejus necessario produceretur, » respondet : « Deus in voluntate agit non per modum necessitatis : quia voluntatem non cogit, sed movet eam *non auferendo ei modum suum*, *qui in libertate ad utrumlibet consistit*. Et ideo quamvis divinæ voluntati (absolutæ) nihil resistat, tamen voluntas et quælibet alia res exsequitur divinam voluntatem *secundum modum suum*, quia et ipsum modum divina voluntas rebus dedit, ut sic ejus voluntas impleretur. Et *ideo* quidam explent divinam voluntatem necessario, quidam *contingenter*, quamvis illud quod Deus vult (simpliciter et absolute) semper fiat. » Hisce verbis Angelicus videtur omnino excludere motionem Dei physice prædeterminantem ; nam motio divina relinquit in voluntate libertatem seu indifferentiam activam ad utrumlibet, atqui repugnat in terminis ut motio divina prædeterminet voluntatem ad unum et nihilominus voluntas sub ipsa illa motione maneat libera ac indifferens ad utrumlibet seu ut non sit determinata ad unum. Quod eo vel magis repugnat, quia ad hoc, ut voluntas libera ac indifferens ad utrumlibet in actum prodeat, ex sententia Prædeterminantium requiritur prædeterminatio ad unum. Cum igitur divina motio relinquat in voluntate prædestinati indifferentiam ad utrumlibet, infalli-

bilitas effectus ex ipsa illa motione prævia per se spectata repeti nequit, sed necessario desumenda est ex futuro voluntatis sub et ex ista motione consensu a Deo infallibili scientia præviso. Quapropter etiam Aquinas hoc ipso in loco, antequam ad exponendam doctrinam de infallibilitate prædestinationis progreditur, cum S. Augustino præmittit *præscientiam* præparationi gratiarum, quibus certissime liberantur quicunque liberantur. (Ibidem contra 1). Imo ex infallibilitate scientiæ divinæ concludit ad certitudinem prædestinationis : « prædestinatio includit præscientiam... sed præscientia habet certitudinem... ergo et prædestinatio. » (Ibidem Contra 4).

Doctorem Angelicum non agnovisse infallibilitatem prædestinationis ex decretis prædeterminantibus constat quoque ex alio loco, in quo pariter de certitudine prædestinationis data opera disserit. In 1, Dist. 40, q. 3, a. 1 sub 4 hanc proponit objectionem : « Eorum quæ non sunt determinata nec in se nec in causis suis non potest esse certitudo : sed motus liberi arbitrii quod est causa ad utrumlibet, non sunt determinati, nec in se nec in suis causis *antequam sint;* ergo cum effectus prædestinationis expleatur motibus liberi arbitrii, quæ sunt opera meritoria, videtur quod prædestinatio nullam certitudinem habet. » Respondet Aquinas : « *Contingens futurum, ut motus liberi arbitrii, quamvis non sit determinatum in causa sua, est tamen determinatum in esse suo secundum quod est actu, et sic subjacet certitudini præscientiæ,* sicut supra dictum est de futuris contingentibus dist. 38. » Concedit itaque imo inculcat S. Doctor, motus liberi arbitrii seu opera meritoria, quibus expletur prædestinatio, non esse determinata in causis suis, adeoque ex causis per se spectatis prædestinationem non posse esse infallibilem, sed infallibilitatem repetendam esse ex prævisa ipsa determinatione voluntatis in actu secundo. Hisce evertitur fundamentum Adversariorum, juxta quos per decreta

prædeterminantia et ex illis fluentem gratiam physice prædeterminantem voluntas est natura prius quam agat determinata ad particularem motum, ita ut iste motus sit aliquid determinatum in causa sua, quod expresse negat Angelicus. Hinc dicit Aquinas l. c. de Verit. ad 6, quod « propositio de futuro (qua talis), quia respicit futurum *nisi ut futurum est*, hoc modo non potest habere certitudinem; sed veritas prædestinationis et præscientiæ respicit futurum *ut est præsens*... et ideo certitudinem habet. » Hoc significat: quamdiu voluntas non agit, quamdiu proinde ejus actus futurus est, hic actus *ut talis* non est certus, quia voluntas utpote libera ac indifferens potest non producere illum actum. Hoc autem non est verum in sententia Prædeterminantium, quia posito decreto prædeterminante, quatenus ex hoc fluit in voluntatem præmotio ex insita sua natura certo nexa cum determinato actu voluntatis, inter hanc voluntatem ita præmovendam et ipsum actum, antequam existat et proinde qua futurum, est certus nexus. Actus itaque contingens et liber non est certus ut est in causis suis per se et in actu primo spectatis seu ut est futurus, sed est certus ut in causis exeuntibus in ipsum actum secundum seu ut est in esse suo actuali et sic subjacet certitudini præscientiæ ac prædestinationi Dei (1). Ideo etiam S. Thomas docet efficaciam connexionis gratiæ cum effectu in prædestinato determinari ipsius prædestinati ex gratia consensu. Scribit enim in Ep. ad Rom. VIII, lect. 6: « Alia vero vocatio est interior, quæ nihil aliud est quam quidam mentis

(1) Ex hoc tamen minime sequitur, actum liberum secundum suum *esse reale* ab æterno coexistere æternæ ac immutabili Dei scientiæ. Actus ille secundum suum *esse reale* in aliqua temporis differentia coexistit quidem *toti* æternitati Dei sed *non totaliter*, secundum autem suam *cognoscibilitatem* idem ille actus præsens est toti Dei æternitati et *totaliter;* quia esse ejus reale, quod habet in aliqua temporis differentia, pro Deo, « cujus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate » (1, q. 14, a. 13), æternam fundat cognoscibilitatem. Cf. Franzelin, de Deo Uno, Thes. 32.

instinctus, quo cor hominis movetur a Deo ad assentiendum his quæ sunt fidei vel virtutis... Et hæc vocatio necessaria est, quia cor nostrum non se ad Deum converteret, nisi ipse Deus nos ad se traheret... Et etiam *hæc vocatio est efficax in prædestinatis, quia hujusmodi vocationi assentiunt.* »

In explicatione igitur certitudinis prædestinationis nullum apud S. Thomam verbum de motione physice prædeterminante voluntatem ad unum, quam tamen si agnovisset commemorandi ibi fuisset locus quin et necessitas. Imo, nedum istam motionem ex sua natura infallibilem ibi commemoret, eam omnibus modis excludit. Est itaque manifestum, certitudinem ordinis prædestinati apud Angelicum Doctorem non repeti ex prædestinatis gratiis physice prædeterminantibus (1). Ex hoc ipso ulterius inferimus istam infallibilitatem a S. Doctore non reponi *formaliter in multitudine ac varietate* gratiarum. Enimvero, si singulæ gratiæ sunt natura sua defectibiles, non intelligitur quomodo ex earum multitudine ac varietate oriatur *infallibilitas metaphysica*, qualis in prædestinatione requiritur. Quod etiamsi concederetur, infallibilitatem scilicet prædestinationis per se posse repeti formaliter ex multitudine ac varietate gratiarum, nihilominus dicendum foret non ita esse ex mente S. Thomæ expresse docentis, sub ipsa motione divina data ex prædestinatione manere in voluntate indifferentiam activam ad utrumlibet, motus liberi arbitrii quibus expletur prædestinatio non esse determinatos in causis suis sed solum in esse suo secundum quod sunt actu.

Quæ cum ita sint, ex doctrina S. Thomæ de certitudine

(1) De hoc conferri potest cl. Schneemann, qui in opere « Controversiarum de divinæ gratiæ liberique arbitrii concordia initia et progressus » Ed. latina, an. 1881, tam ex ipso S. Thoma, quam ex conspirantibus antiquis, qui ante controversiam floruere, Thomistis, pluribus docte simul ac erudite ostendit, universim sententiam de motione voluntatis a Deo per prædeterminationem physicam non esse doctrinam Angelici Doctoris.

ordinis prædestinati argumentum peti nequit pro antecedente prædestinatione ad gloriam seorsum sumptam. Utique si iste ordo esset certus ex decretis prædeterminantibus, cum hisce admissis non amplius valeamus intelligere rationem veri meriti in operibus independenter a voluntate gratia divina prædeterminatis, adeoque nobis videatur ordo salutis esse *mera salutis exsecutio* a Deo facienda, cooperante quidem sub influxu divino voluntate humana sed tamquam mero instrumento *non moraliter sed physice tantum :* si ita, inquam, intelligeretur certitudo ordinis, omnino consequenter diceretur, Deum ratione prius absolute velle gloriam quam certa ad eam media ab ipso adhibenda. Quia autem secundum Angelicum Doctorem certitudo ordinis prædestinati non est sine respectu ad liberum hominis consensum ac divinam præscientiam, adeoque motus voluntatis, quibus expletur prædestinatio sunt vere liberi ac meritorii vitæ æternæ, certe non requiritur ut voluntas absoluta gloriæ in Deo ratione præcedat voluntatem absolutam certorum mediorum, quin etiam hoc per se videtur repugnare neque est ex mente S. Thomæ ut in capite antegresso demonstravimus.

### § 2. *Expenduntur et enodantur singulares S. Thomæ textus.*

Superest modo ut perpendamus singularia quædam S. Thomæ effata, ex quibus Adversarii suam doctrinam auctoritate Angelici Doctoris communire student. Prius autem memoria repetere juvabit regulam generalem, quam pro interpretanda S. Thomæ de prædestinatione doctrina ex ipso supra stabilivimus. Quoties scilicet S. Doctor loquitur de prædestinatione simpliciter, toties intelligit eam completam gratiæ simul et gloriæ. Hinc deduximus methodum, quam necessario sequi debet qui probare nititur S. Thomam docuisse gratuitam prædestinationem gloriæ seorsim sumptæ.

Non enim sufficit ut proferat tales textus, quibus Angelicus omnimodam gratuitatem prædestinationis inculcat, sed requiritur ut demonstret ipsum in locis adductis agere de prædestinatione incompleta ad gloriam. Oportet ut pro singulo textu hoc demonstret ex verbis perspicuis, quamdiu enim talis demonstratio non adest, ex modo generali, quo de prædestinatione disserere solet S. Doctor, præsumitur loqui de prædestinatione completa ad gratiam simul et gloriam. Quæ si præ oculis habeantur quisque facile perspiciet, textus qui afferri solent nihil pertinere ad adstruendam gratuitam prædestinationem gloriæ, de qua unice quærimus. Quibus præstitutis ad inspicienda atque examinanda singula testimonia gressum facimus. Expendemus autem ea, quæ profert Gonet (Op. cit. Disp. 2, Art. 1, § 6) ad doctrinam de antecedente prædestinatione gloriæ ex S. Thoma demonstrandam.

I. Qui S. Thomam in alium trahunt sensum potissime confugiunt ad verba, quæ scribit S. Doctor 1, q. 23, a. 5 ad 3 : « *quare* (Deus) *hos elegit in gloriam et illos reprobavit non habet rationem nisi divinam voluntatem.* » Censent illi Theologi hisce Angelici verbis clare enuntiari, prædestinationem gloriæ seorsim sumptæ in solam gratuitam voluntatem Dei refundendam esse. Sed hæc interpretatio duplici ratione ex ipso contextu refellitur. Enimvero :

1. Si verba ista intelligerentur de prædestinatione ad gloriam seorsim sumptam, antecedente prævisionem omnium meritorum, sequeretur ex mente Angelici etiam *reprobationem positivam* ad pœnam æternam nullam habere rationem ex parte reproborum, ait enim : « quare hos elegit in gloriam et *illos reprobavit* non habet rationem nisi divinam voluntatem. » Reprobationem autem, quam electioni, si hæc intelligeretur de electione ad gloriam seorsim sumptam, opponit Aquinas, esse reprobationem positivam hoc ipso in loco disertissimis verbis declarat scribens : « Voluit

igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo, et quantum ad aliquos, quos reprobat, *per modum justitiæ puniendo.* » Ex hoc uno manifeste constat, illius textus non eum esse sensum, quem tradunt Adversarii.

2. Obstat quoque integer contextus, quominus illa Angelici sententia de prædestinatione gloriæ per se et seorsum spectatæ accipiatur. In corpore enim præsentis articuli 5ti solvit quæstionem : « utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis. » Dilucide ac rite determinato sensu quæstionis, quæ est de prædestinatione spectata non ex parte ipsius actus divini sed ex parte effectus seu terminative sumpta, scribit S. Doctor : « Dicendum est ergo quod effectum prædestinationis considerare possumus dupliciter. Uno modo in particulari, et sic nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius,... sicut si dicamus quod Deus præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis, et quod præordinavit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari prædestinationis effectus in communi. Et sic impossibile est quod totus prædestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra; quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem totum comprehenditur sub effectu prædestinationis... Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione divinam voluntatem (bonitatem). » Contra hanc doctrinam ibidem sub 3 sequentem proponit difficultatem : « Non est iniquitas apud Deum... Iniquum autem esse videtur ut æqualibus inæqualia dentur. Omnes autem homines sunt æquales et secundum naturam et secundum peccatum originale; attenditur autem in eis inæqualitas secundum merita vel demerita propriorum actuum. Non igitur inæqualia præparat Deus hominibus *prædestinando et reprobando*, nisi propter differentium meritorum præscientiam. » Hanc objectionem diluit S. Doctor

scribens : « ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest *prædestinationis* aliquorum *et reprobationis* aliorum... *Sed quare hos elegit in gloriam et illos reprobavit non habet rationem nisi divinam voluntatem.* » Manifestum est in tali contextu nomine electionis in gloriam a S. Thoma intelligi prædestinationem completam gratiæ simul et gloriæ. Cum enim in corpore articuli docuisset Angelicus prædestinationem sic complete spectatam nullam ex parte nostra habere causam, quoad hanc sponte oriebatur difficultas, quare Deus non omnes prædestinat, nonne hoc injustum est? Si de electione ad gloriam seorsim sumptam loqui voluisset Aquinas, rationem ipsius non petiisset ex sola voluntate divina sed ex meritis quoque supernaturalibus secundum ea quæ in corpore ejusdem articuli declaraverat : si consideratur prædestinatio ex parte alicujus effectus particularis « nihil prohibet aliquem effectum prædestinationis esse causam et rationem alterius... sicut si dicamus quod Deus *præordinavit se daturum alicui gloriam ex meritis.* » Præterea electio in gloriam evidenter eodem sensu est intelligenda quo prædestinatio tum in objectione, tum initio responsi ubi dicit : « ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest *prædestinationis* aliquorum et reprobationis aliorum. » Utrobique autem prædestinatio *simpliciter dicta* tum ex regula generali supra stabilita, tum ex collata doctrina in corpore articuli exposita necessario accipienda est pro prædestinatione completa, sub cujus effectu comprehenditur « quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem. » Postremo nomine electionis in gloriam hic significari prædestinationem completam etiam ex verbis immediate sequentibus non minus luculenter patet. Sententiæ enim, cujus sensum modo inquirimus, continuo subjungit S. Doctor : « unde Augustinus dicit : *quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.* » Hæc Augustini verba de tractione per gratiam et quidem in ordine exsecutionis intelligenda esse per se liquet;

ideoque dicendum electionem in gloriam ex mente S. Thomæ prædestinationem gratiæ simul comprehendere, secus enim ad confirmandam doctrinam inepte adduxisset verba, quæ cum ea nequidem componi possunt. Si enim admittitur antecedens et gratuita unius præ alio electio ad gloriam seorsim sumptam, dici nequit cum Augustino collationis ac prædestinationis gratiæ efficacis nullam a nobis dari posse rationem præter voluntatem divinam, sed ratio in promptu est ipsa nempe antecedens et gratuita prædestinatio gloriæ. Ex toto itaque contextu constat, electionem in gloriam in præsenti loco significare prædestinationem completam gratiæ simul et gloriæ, proindeque illa S. Thomæ verba ad statuendum ordinem inter prædestinationem gratiæ et prædestinationem gloriæ nihil pertinere.

Quibus præmissis haud operose assequemur doctrinam, quam tradit Angelicus 1, q. 23, a. 5 ad 3. Integer textus istius responsi sic habet. « Dicendum, quod ex ipsa bonitate divina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum et reprobationis aliorum. Sic enim Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in rebus divina bonitas repræsentetur. Necesse est autem, quod divina bonitas, quæ in se est una et simplex, multiformiter repræsentetur in rebus propter hoc quod res creatæ ad simplicitatem divinam attingere non possunt. Et inde est quod ad completionem universi requiruntur diversi gradus rerum, quorum quædam altum et quædam infimum locum teneant in universo. Et ut multiformitas graduum conservetur in rebus Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur... Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo; et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo. Et hæc est ratio quare Deus quosdam eligit et quosdam reprobat. Et hanc causam

assignat Apostolus (Rom. IX, 22-23) dicens : volens Deus ostendere iram (id est vindictam justitiæ) et notam facere potentiam suam, sustinuit (id est permisit) in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Et (II, Tim. II, 20) dicit : in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam et illos reprobavit non habet rationem nisi divinam voluntatem. Unde Augustinus dicit : quare hunc trahat, et illum non trahat, noli velle dijudicare si non vis errare... Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc enim esset contra justitiæ rationem si prædestinationis effectus ex debito redderetur, et non daretur ex gratia. In his enim quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare cui vult plus vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, absque præjudicio justitiæ. »

Sicut igitur, ut ostendimus, S. Thomas nomine electionis in gloriam intelligit prædestinationem completam ad gratiam simul ac gloriam, ita pariter reprobationem illi electioni oppositam spectat completam, quæ « includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam et inferendi damnationis pœnam pro culpa. » (l. c. a. 3 in corp.). De prædestinatione ita complete spectata docuerat S. Doctor in corpore articuli 5ti, illius nullam esse rationem ex parte hominis, quia quidquid est in homine conducens ad salutem est effectus prædestinationis. Contra hanc doctrinam ibidem sub 3 hanc proponit difficultatem : si ex parte hominis nulla est ratio cur prædestinetur, quare Deus non omnes prædestinat sed aliquos tantum et alios reprobat? Nonne iniquum est, quod Deus hominibus qui sunt æquales inæqualia præparat prædestinando vel reprobando? Respondet S. Doctor, optimam dari posse rationem quare Deus *in genere* quosdam

prædestinat et quosdam reprobat, nimirum hanc rationem sumi posse ex ipsa bonitate divina quæ est ratio omnium operum Dei ad extra. Nihilominus si ulterius quæritur, cur Deus *in particulari* hos prædestinat et illos reprobat, jam nulla ratio, ait, a nobis assignari potest præter voluntatem divinam. Nullatenus autem iniquum est quod Deus ita diversimode agat cum hominibus. Cum enim illis nullum insit jus ad dona gratuita Dei, nulla profecto est injustitia quod uni plus et alteri minus ex istis donis communicet. Debet quidem sibi Deus ratione gratuitæ suæ voluntatis, qua serio vult salutem omnium hominum, ut omnibus præparet media ad salutem sufficientia; ast nulla ratione tenetur ad præparanda omnibus talia media, cum quibus prævidet eos fore consecuturos salutem. Cum igitur Deus nemini deneget media sufficientia, cum quibus ad salutem perveniret nisi iis sua culpa abuteretur, ac proinde nemini subtrahat debitum, nullius iniquitatis argui potest ex eo, quod in distribuendis istis mediis salutis tali utatur providentiæ modo, in quo aliis destinantur media cum quibus prævidentur consecuturi salutem, aliis vero talia quibus prævidentur abusuri et consequenter propter sua peccata in æternum perituri. In hac ultima parte S. Thomas directe respondet propositæ difficultati repellendo a divina providentia circa homines omnem iniquitatem.

In prima vero parte sui responsi S. Doctor assignat rationem hujus diversæ erga homines providentiæ. Hanc autem eamdem esse docet ac generatim omnium operum Dei ad extra, manifestationem nempe divinæ bonitatis. Sicut enim bonitas divina non quidem augenda sed communicanda ac manifestanda per creaturas est finis ultimus ac ratio omnium operum Dei ad extra, ita etiam est finis ad quem Deus ordinat tum prædestinationem tum reprobationem hominum. Cum autem in electis divina bonitas manifestetur per modum misericordiæ in reprobis vero per modum

justitiæ, ex hac diversa manifestatione divinæ bonitatis ratio sumi potest diversæ Dei erga homines providentiæ. Hoc utique intelligi nequit ac si Deus antecedenter ad quamcunque præscientiam absolute vellet non modo manifestationem suæ misericordiæ sed etiam manifestationem suæ justitiæ punitivæ. Hoc enim admisso corrueret doctrina certissima S. Thomæ de voluntate Dei seria et operosa, qua antecedenter ad prævisa hominum peccata omnium vult salutem. Voluntati enim Dei *absolutæ* manifestandi suam justitiam vindicativam directe opponitur omnium hominum salus, hanc ergo stante illa voluntate absoluta *nulla ratione* Deus vere velle potest, sed tantum eam velle *posset* si non obstaret absoluta voluntas contraria. Præterea cum manifestatio justitiæ punitivæ, de qua in præsenti textu loquitur S. Thomas, non nisi *unico* medio obtineri possit nimirum damnatione seu punitione æterna plurium hominum, sequeretur Deum intendere seu velle ante prævisam culpam plurium hominum interitum. Voluntas enim damnationis, utpote medii unici et absolute requisiti ad manifestandam divinam justitiam vindicativam, jam virtute continetur in voluntate absoluta finis. Imo, si iste esset sensus verborum S. Doctoris, doceret expresse Deum ante prævisa hominum peccata absolute velle aliquorum punitionem seu damnationem æternam. Ait enim : « voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos, quos prædestinat suam repræsentare bonitatem per modum misericordiæ parcendo; et quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ *puniendo.* » Juxta S. Thomam igitur Deus vult in aliquibus hominibus manifestare suam justitiam illos puniendo seu per eorum damnationem. Sane nemo dicet S. Doctorem umquam docuisse Deum ante prævisa peccata absolute velle aliquos homines damnare. Hinc cuique certum esse debet sensum verborum S. Thomæ non posse esse illum, de quo hucusque locuti sumus.

Verba autem S. Thomæ alio sensu haud incongrue explicari possunt. Loquitur nimirum S. Doctor ex suppositione scientiæ conditionatorum, qua Deus ante omne decretum videt fore ut, suppositis gratiis ad præsentem ordinem pertinentibus, quocunque ordinato modo eas singulis distribuat, aliqui sint salutem consecuturi, aliqui vero in æternum perituri. Secundum talem autem præsuppositionem omnino dici potest bonitatem divinam exigere ut aliqui prædestinentur et alii reprobentur seu permittantur esse reprobi, adeoque ex manifestatione divinæ misericordiæ rationem sumi posse prædestinationis aliquorum et ex manifestatione divinæ justitiæ assignari posse rationem reprobationis aliorum. Nihilominus secundum talem considerationem, cur in particulari Deus hos prædestinet et illos permittat esse reprobos, hujus nulla præter voluntatem Dei assignari valet ratio (1).

Hæc ut melius intelligantur notentur sequentia. 1. Deus in rerum productione absolute intendit aliquam manifestationem suæ bonitatis, determinatam secundum gradum perfectionis non vero secundum modum, tamquam finem absolute ultimum.

2. Deus serio licet conditionate intendit hanc manifestationem cum et ex felicitate omnium hominum. Cum fine enim primario et absolute ultimo creationis conjungit finem secundarium ac subordinatum, felicitatem nempe creaturæ rationalis.

3. Deus propter sinceram voluntatem procurandi gloriam suam per salutem omnium hominum pro omnibus et singulis eligit gratias vere ac relative sufficientes. Hæc autem media salutis Deus vult esse multiformia, gradu ac mensura varia, ut hac donorum varietate plene fiat manifestatio divinæ bonitatis in gradu determinato, quæ ex gratiis ejusdem rationis haberi non posset; sicut in ordine naturali eadem de ratione vult esse multiplices creaturas perfectione ac specie diversas.

(1) Ita cl. P. De San in foliis autographis de Deo Uno, cap. 27 ad finem.

Antequam autem Deus hoc decretum distributionis gratiarum concipit, videt fore ut, quocumque ordinato modo varia illa media singulis distribuat, licet omnes possint salvari, aliqui tantum salventur, alii vero pereant. Cum igitur, supposita libera Dei voluntate decernente determinatam manifestationem suæ gloriæ, divina bonitas exigat multiplicem varietatem mediorum salutis, cumque Deus scientia conditionatorum prævideat fore ut gratiæ, quicumque ordinatus illas distribuendi servetur modus, in multis sola ipsorum culpa sint finaliter inefficaces, adeoque fore ut non modo sint electi sed et reprobi; optime intelligitur, quomodo Angelicus dixerit ex eo, quod necesse sit (posita nempe libera determinatione Dei) ut « divina bonitas... multiformiter repræsentetur in rebus, » sequi Deum velle aliquos homines prædestinare et aliquos reprobare. Hinc ulterius intelligitur quare S. Doctor, eadem præscientia supposita, docuerit in particulari prædestinationem horum ac reprobationem illorum in solam voluntatem divinam refundendam esse. Quia enim, ut ex dictis liquet, divina bonitas manifestanda non exigit determinatum aliquem ex ordinatis modis distribuendi gratias ad præsentem ordinem pertinentes, a libera Dei voluntate pendet ut potius hunc quam illum distributionis modum eligat, quia in unoquoque obtinetur determinata manifestatio divinæ bonitatis. Quod igitur elegerit hunc modum secundum quem hi sunt electi illi vero reprobi seu permittuntur esse reprobi, cum potuisset æque eligere alium secundum quem primi forent reprobi posteriores vero electi, hoc unice pendet a beneplacito voluntatis suæ, ideoque « quare hos elegit in gloriam et illos reprobavit non habet rationem nisi divinam voluntatem. »

Hæc illustrari possunt iis quæ scribit S. Thomas de Verit. q. 23, a. 2 in corp. : « Quamvis ipse (Deus) in sua operatione materiam non requirat, et res a principio creaverit nulla materia præexistente, nunc tamen operatur in rebus, quas

primo creavit, eis administrans præsupposita natura, quam prius eis dedit. Et quamvis posset a creatura omne impedimentum auferre quo perfectionis incapaces existunt, tamen secundum ordinem suæ sapientiæ disponit de rebus secundum earum conditionem, ut unicuique tribuat secundum modum suum. *Illud ergo, ad quod Deus creaturam ordinavit quantum est de se, dicitur esse volitum ab eo quasi prima intentione, sive voluntate antecedente. Sed quando creatura impeditur propter sui defectum ab hoc fine, nihilominus tamen Deus implet in ea id bonitatis, cujus est capax, et hoc est quasi de secunda intentione ejus et dicitur voluntas consequens. Quia ergo Deus omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium salutem velle, sed quia quidam suæ saluti adversantur, quos ordo suæ sapientiæ ad salutem pervenire non patitur propter eorum defectum, implet in eis alio modo id quod ad suam bonitatem pertinet, scilicet eos per justitiam damnans, ut sic dum a primo ordine voluntatis deficiunt in secundum labantur, et dum Dei voluntatem non faciunt impleatur in eis voluntas Dei.* Ipse autem defectus peccati quo aliquis redditur dignus pœna in præsenti vel in futuro non est volitus a Deo neque voluntate antecedente neque consequente, *sed est ab eo solummodo permissus.* Nec tamen intelligendum est ex prædictis quod intentio Dei frustrari possit, *quia istum qui non salvatur præscivit ab æterno fore non salvandum,* nec ordinat ipsum in salutem secundum ordinem prædestinationis, qui est ordo absolutæ voluntatis, sed quantum ex parte sua est, dedit ei naturam ad beatitudinem ordinatam. »

Deus itaque juxta S. Thomam voluntate antecedente et quantum in se est vult omnium hominum salutem, et ab hac universali voluntate nemo excluditur nisi qui per suum defectum istius magni boni se libere incapacem reddit. Hinc ordo divinæ sapientiæ per se nullatenus postulat ut aliquis homo non salvetur, sed hoc solum exigit supposita hominis

culpa finali. Quia enim ad divinam sapientiam spectat omnia dirigere in gloriam Dei, quæ est finis absolute ultimus, ad ipsam pertinet ut in iis, in quibus non potest obtineri hæc gloria per modum a Deo voluntate antecedente serio intentum, procuret eam alio modo ordinando nempe culpam per pœnam. Licet autem Deus serio intendat salutem etiam eorum qui non salvantur, nihilominus ipsius voluntas absoluta non frustratur, nam eorum salutem non absolute voluit seu eos non prædestinavit, cum ab æterno præsciverit eos per media ipsis destinata non fore salvandos.

II. Pro gratuita prædestinatione gloriæ seorsum sumptæ a Goneto afferuntur quæ scribit Angelicus Doctor in Ep. ad Rom. IX, lect. 3 : « *Non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditer aliquos liberat.* »

Resp. Merita consequentia gratiam non sunt ratio prædestinationis ad gratiam vel ad gratiam simul et gloriam. Hic manifeste est sensus istorum verborum, uti liquet non tantum ex modo generali, quo S. Doctor de prædestinatione disserere solet, sed vel etiam ex toto hujus loci contextu. Explicans enim ibidem verba Moysis, ab Apostolo adducta : « miserebor cujus misereor, et misericordiam præstabo cujus misereor, » ait Aquinas : « Exponitur hæc auctoritas in glossa dupliciter et secundum hoc ex auctoritate hac dupliciter solvitur quæstio et objectio (Apostoli). Uno modo sic, *miserebor cui misereor*, id est, illi qui est dignus misericordia, et ad majorem expressionem iterat dicens, *misericordiam præstabo cui misereor,* id est, cui dignum judico misereri. Et secundum hoc licet misericorditer sua impendat, tamen ab injustitia excusatur, quia dat quibus dandum est et quia non dat cui dandum non est secundum rectitudinem sui judicii. Sed misereri cui dignum est potest intelligi dupliciter. Uno modo ut intelligatur aliquis dignus misericordia propter opera præexistentia in hac vita... quod pertinet ad hæresim

Pelagianorum, qui posuerunt gratiam Dei hominibus secundum merita dari. Sed hoc stare non potest, quia dictum est : ipsa etiam bona merita sunt homini a Deo et sunt prædestinationis effectus. Alio modo potest intelligi ut aliquis dicatur dignus misericordia, non propter aliqua merita præcedentia gratiam sed propter merita subsequentia, puta ut dicamus *quod Deus dat alicui gratiam et proposuit eam ab æterno illi se daturum, quem præscivit ea bene fore usurum.* Et secundum hoc intelligit glossa quod miseretur cui miserendum est. Unde dicit miserebor cui misertus ero, id est, illi miserebor *vocando et gratiam apponendo* cui præscius ero quod misericordiam daturus essem, sciens illum convertendum et apud me mansurum. Sed videtur quod nec hoc convenienter dici possit. Manifestum est enim quod nihil potest poni ratio prædestinationis quod est prædestinationis effectus, etiam si accipiatur prout est in Dei præscientia, quia ratio prædestinationis præintelligitur prædestinationi, effectus autem in ipsa includitur. Manifestum est autem quod *omne Dei beneficium quod homini confert ad salutem est divinæ prædestinationis effectus... Sic igitur non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditer aliquos liberat.* »

Nedum igitur ex contextu demonstretur, S. Thomam in præsenti loco agere de prædestinatione gloriæ seorsim sumptæ, ex eo potius probatur contrarium. Affirmat enim hic S. Doctor, quod est apud omnes catholicos ratum et fixum, prædestinationi completæ, quæ complectitur « omne Dei beneficium quod homini confert ad salutem, » nullam ex parte prædestinandi posse assignari rationem, quia deberet esse aliquid extra totum effectum prædestinatum adeoque ad salutem nihil pertinens. Si quid in hoc contextu valeret ad determinandum ordinem prædestinationem gratiæ inter et prædestinationem gloriæ, maxime foret illud, quod

S. Doctor hic sicut alibi passim supponat. eumdem esse ordinem collationis ac prædestinationis donorum salutarium. Idipsum enim non obscure significat, quando explicans illam doctrinam, quæ sibi minus conveniens apparet, dicit : « puta ut dicamus quod Deus *dat* alicui gratiam *et proposuit eam ab æterno illi se daturum*, quem præscivit ea bene fore usurum. » Propositum æternum in mente S. Thomæ semper respondet donationi temporali.

III. Sequitur explicandus alius textus S. Thomæ, desumptus ex lect. 4 in cap. I Ep. ad Ephes. Exponens ibidem hæc verba Apostoli : « in quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, » scribit S. Doctor : « *Ponit Apostolus voluntariam Dei prædestinationem... cujus quidem prædestinationis ratio non sunt merita, sed mera Dei voluntas, propter quod subdit secundum propositum ejus.* »

Significatne hic Angelicus nomine *voluntariæ prædestinationis* prædestinationem gloriæ seorsim sumptæ? Minime vero. Intelligit prædestinationem ad fidem et ad gratiam simul connotando, ut solet, ulteriores prædestinationis effectus usque ad gloriam, et de hac prædestinatione complete spectata pronuntiat, eam non habere rationem in meritis nostris sed in sola Dei voluntate. Sufficit vel obiter inspicere contextum, ut quisque statim deprehendat, in eo agi de vocatione ad fidem et ad gratiam, cujus tum in executione tum in prædestinatione celebratur gratuitas. Contextus autem ita habet. « Supra posuit Apostolus abundantiam gratiæ, quam ipse et alii Apostoli a Christo receperunt; ne autem crederet aliquis eos propriis meritis eam recepisse ideo consequenter ostendit, quod gratis eam receperunt, vocati a Deo non propriis meritis. Dividitur autem pars ista in tres : quia primo ponit gratuitam vocationem. Secundo voluntariam Dei prædestinationem... Tertio utriusque finem. Dicit ergo, dixi quod hujusmodi gratia superabundavit in

nobis, et quod in Christo omnia restaurata sunt. In quo etiam, id est, per quem Christum nos sorte sumus vocati id est non nostris meritis sed divina electione... Quia ergo sors nihil aliud est, quam inquisitio rerum, quæ ex divina voluntate fiunt, gratia autem ejus ex divina voluntate dependet; inde est quod gratia divinæ electionis dicitur sors, quia Deus per modum sortis secundum occultam providentiam, non ex alicujus meritis per gratiam internam vocat. Deinde cum dicit, prædestinati etc., ponit *voluntariam Dei prædestinationem*, de qua dicitur Rom. 8 : quos prædestinavit hos et vocavit. Cujus quidem prædestinationis (quæ complectitur istam vocationem ad fidem) ratio non sunt merita nostra sed mera Dei voluntas, propter quod subdit secundum propositum ejus... Ultimo autem tangit finem utriusque scilicet *prædestinationis* et *vocationis* scilicet laudem Dei... Laus autem gloriæ Dei est cum multi acquiruntur *ad fidem.* »

IV. Scribit S. Thomas de Verit. q. 6, a. 2 in corp. « *quod velit Deus alicui dare gratiam et gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit.* »

Non video, quid hæc verba faciant ad probandam gratuitam prædestinationem gloriæ seorsim sumptæ. Illis enim unice enuntiatur, gratiam et gloriam esse dona supernaturalia, ad quæ in natura humana per se spectata nulla est exigentia, ideoque quod Deus tali naturæ velit dare gratiam et gloriam in complexu non posse esse ex debito naturæ sed esse ex mera Dei liberalitate atque superabundante ejus bonitate. Si autem ratio habeatur modi, quo S. Doctor hic probat liberalitatem tum collationis tum prædestinationis gratiæ et gloriæ in complexu, ex hoc articulo potius erui potest S. Thomæ numquam in mentem venisse prædestinationem gloriæ seorsim sumptæ fieri ante prævisa merita gratiæ. Sic enim discurrit : « Finis divinæ voluntatis est ipsa ejus bonitas, quæ non pendet ab aliquo alio, unde ad hoc quod habeatur a Deo nullo alio indiget : et ideo voluntas

ejus non inclinatur primo ad aliquid faciendum per modum debiti sed liberaliter tantum, in quantum est bonitas ejus in opere manifesta; sed ex quo supponitur quod Deus aliquid facere velit ex suppositione liberalitatis ipsius, per modum debiti cujusdam sequitur quod faciat ea sine quibus res ipsa volita esse non potest. Sicut si facere vult hominem quod det ei rationem; ubicunque autem occurrit aliquid sine quo aliud a Deo volitum esse possit, hoc non procedit ab eo secundum rationem alicujus debiti, sed secundum meram liberalitatem. Perfectio autem *gratiæ et gloriæ* sunt hujusmodi bona, quod sine eis natura esse potest, excedunt enim naturalis virtutis limites : *unde* quod velit Deus alicui dare *gratiam et gloriam*, hoc ex mera liberalitate procedit... unde causa prædestinationis nihil est aliud quam bonitas ipsius Dei. »

Si S. Thomas censuisset voluntatem absolutam gloriæ præcedere voluntatem mediorum ad eam, juxta ipsius doctrinam voluntas gratiæ, sine qua gloria esse non potest, non esset mere liberalis sed ex suppositione, quod nempe Deus velit absolute aliquem hominem esse beatum. Hac autem voluntate liberali gloriæ supposita jam « per modum debiti cujusdam sequeretur, » Deum velle isti homini ea omnia sine quibus gloriam non consequeretur. In toto autem hoc articulo numquam dicit S. Doctor, voluntatem gloriæ esse ex mera liberalitate, e contra vero docet voluntatem *gratiæ* atque ideo etiam voluntatem *gratiæ et gloriæ* in complexu esse mere liberalem. Sic ibidem ad 5 : « Dicendum quod habitudinem Dei ad res possumus dupliciter considerare. Uno modo quantum ad primam rerum dispositionem, quæ est secundum divinam sapientiam diversos gradus in rebus constituentem : et sic non eodem modo se habet Deus ad omnia. Alio modo secundum quod jam rebus dispositis providet et sic similiter se habet ad omnia in quantum omnibus æqualiter dat secundum suam proportionem. Ad primam

autem rerum dispositionem totum hoc pertinet quod dictum est a Deo procedere secundum *simplicem voluntatem, inter quæ etiam præparatio gratiæ computatur.* » Item ad 8 : « Dicendum quod in illis quæ sunt secundum rationem debiti inter aliquos distribuenda esset contra rationem justitiæ distributivæ, si æqualibus in æqualia darentur, sed in his quæ ex liberalitate donantur in nullo justitiæ contradicit. Possum enim uni dare et alteri non dare pro meæ libito voluntatis : *hujusmodi autem est gratia* et ideo non est contra rationem justitiæ distributivæ si Deus *proponat se daturum gratiam alicui*, et alicui non, nulla inæqualitate meritorum considerata. »

Quia autem gratia ex mera liberalitate datur ac præparatur ideo etiam gratia et gloria in complexu ex simplici Dei voluntate procedere dicendæ sunt, quod docuit in corpore articuli et repetit in solutione ad 6 : « ad bonitatem divinam pertinet in quantum est infinita, ut de perfectionibus quæ unaquæque res secundum suam naturam requirit unicuique largiatur, secundum quod est ejus capax; non autem requiritur de perfectionibus superadditis, inter quas sunt *gratia et gloria.* » Hæc omnia valent atque dicuntur a S. Thoma, uti ex verbis liquet, de istis donis consideratis æque in temporali exsecutione ac præparatione seu prædestinatione æterna. Utrumque enim ordinem constanter miscet S. Doctor ab unoque ad alterum concludit. Sicut enim salus supernaturalis in complexu spectata gratis omnino confertur naturæ humanæ, quippe quæ ex se ad illam nullam exigentiam aut proportionem habet, ita pariter mera liberalitate divina per dona salutaria ei præparatur ac prædestinatur. Ex hoc autem ipso, si salus hominis spectaretur quatenus præcise et formaliter confertur per gloriam, voluntas prædestinans ad eam relata ex doctrina Angelici, in hoc ipso articulo ad 2 expressa, est voluntas consequens, quæ respicit opera supernaturalia quibus « gloriam meretur. »

V. Postremo explicandum est quod dicit S. Thomas de Verit. q. 6, a. 6 : « *præscientia meritorum vel propriorum vel aliorum non est causa prædestinationis.* »

Resp. Præscientia quorumvis meritorum non est causa prædestinationis entitative sumptæ, neque ratio prædestinationis spectatæ ex parte totius effectus in complexu, qui complectitur omnia ad salutem prædestinati conducentia et quemadmodum eum in hoc ipso articulo manifeste considerat S. Doctor. « Prædestinatio divina, inquit, numquam mutatur, sed tamen orationes et alia opera bona valent ad consequendum prædestinationis effectum. In quolibet enim ordine causarum attendendus est non solum ordo primæ causæ ad effectum, sed etiam ordo secundæ causæ ad effectum et ordo etiam causæ primæ ad secundam, quia causa secunda non ordinatur ad effectum nisi ex ordinatione causæ primæ. Causa autem prima dat secundæ quod influat super causatum suum. Dico igitur quod prædestinationis effectus est salus humana, quæ a Deo procedit sicut a causa prima, sed ejus possunt esse multæ causæ aliæ proximæ quasi instrumentales, quæ sunt ordinatæ a divina prædestinatione ad salutem humanam, sicut instrumenta applicantur ab artifice ad effectum artis explendum, unde sicut *prædestinationis divinæ est effectus quod iste salvetur, ita et quod per rationes tales vel merita talia salvetur.* »

Hisce ad nostræ dissertationis terminum, Deo favente, jam pervenimus. Propositum nobis maxime fuit, inquirere sententiam Angelici Doctoris de adultorum prædestinatione ad gloriam seorsim sumptam. Cum autem in indaganda sententia Auctoris de aliquo doctrinæ capite ex principio hermeneutico rato ac certo ea sit præferenda explicatio, in qua omnia apte componuntur, ea vero seponenda, quæ inenodabiles relinquit difficultates; ex doctrina S. Thomæ de voluntate Dei salvifica et prædestinatione concludendum censuimus, ipsum prædestinationi gloriæ post prævisa merita

supernaturalia suffragari. Utrum mentem Angelici Doctoris asseculi simus judicet benevolus lector. Interim, quæ bona in hoc qualicunque nostro opusculo inveniuntur, ad *Patrem luminum a quo omne datum optimum et omne donum perfectum* grato animo tota referentes, Ipsum cum Ecclesia enixe precamur, *ut det nobis, et quæ docuit beatus Thomas, intellectu conspicere, et quæ egit, imitatione complere.*

L. D. S.

## THESES.

I.

Cum Deus omnium creaturarum sit primum principium atque ultimus finis, homo ipsi vinculo morali, quod Religionis nomine designatur, essentialiter devincitur. Quapropter necessitate objectiva absoluta homo totam suam vitam obsequio Dei impendere tenetur.

II.

Quia ex una parte hoc Religionis vinculum dimanat ex essentialibus relationibus, quibus creatura rationalis ad Deum refertur, et ex altera parte beatitudo, juxta verissimam S. Augustini (1) definitionem, est *tranquillitas ordinis*, Religio ad hominis beatitudinem vel in hac vita obtinendam omnino necessaria est.

III.

Quamvis veritates atque officia istius Religionis, qua homines etiam citra elevationem ad statum supernaturalem Deo devincirentur, humanæ rationi per se impervia non sint; ea tamen est præsens humani generis conditio, ut horum notitia, absque divina revelatione, « nonnisi a paucis et per longum tempus et cum admixtione multorum errorum homini proveniret » (2); ideoque revelatio fuit moraliter necessaria ut hæc « in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (3).

(1) De Civ. Dei, l. 19, c. 15.
(2) S. Thomas, 1, q. 1, a. 1.
(3) Conc. Vatic. Constit. dogm. *Dei Filius*, cap. II.

IV.

« Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatæ Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide præstare tenemur » (1). Ineptum porro est Rationalistarum commentum de omnimoda humanæ rationis independentia.

V.

Ut vero rationabile sit obsequium fidei nostræ, « oportuit aliquibus indiciis confirmari prædicantium sermonem, quibus manifeste ostenderetur hujusmodi sermonem processisse a Deo » (2). Inter ista autem indicia nequaquam præcipua sunt quæ revelationis criteria interna audiunt, cum hæc per se sola revelationem divinam positive probare nequeant.

VI.

Argumenta enim divinæ Revelationis potissimum sunt criteria externa, facta scilicet divina, atque imprimis miracula, et prophetiæ certo eventu comprobatæ, quæ sicut Deo nequaquam impossibilia sunt, ita etiam « cum Dei Omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata » (3).

VII.

Hæc porro facta divina, revelatæ religionis criteria, triplici modo spectari possunt : *a)* ut referuntur ad ipsas veritates

(1) Conc. Vatic. ibid. cap. III.
(2) S. Thomas, C. G. III, 154.
(3) Conc. Vatic. ibid. cap. III.

revelatas, quas evidenter credibiles reddunt, quo modo considerata proprie motiva credibilitatis sunt et dicuntur; *b)* ut afficiunt ipsam revelationis existentiam, quam certo cognoscendam potius quam credibilem et credendam exhibent; *c)* in complexu et formaliter ut conjuncta cum verbo divinam locutionem complent ac ingrediuntur.

## VIII.

Hisce itaque motivis, prout intellectui doctrinam revelatam evidenter credibilem ipsamque revelationem certo cognoscibilem exhibent, via sternitur ad ipsum motivum formale fidei divinæ, quod aliud non est quam auctoritas Dei revelantis.

## IX.

Factum autem christianæ revelationis imprimis nos docent quatuor Evangelia, quorum indubia est authentia ac fides historica.

## X.

Præter alia multa quæ in iisdem Evangeliis narrantur, resurrectio Christi Domini divinam ipsius Christi missionem firmissime probat. Hæc enim gloriosa a mortuis resurrectio, utpote antiquarum prophetiarum consummatio, et præclari vaticinii a Christo de se prolati adimpletio atque stupendum miraculum, est veluti triplex radius quo divinitas christianæ religionis splendet.

## XI.

Ex iisdem fontibus vel obiter inspectis, quinimo ex tota universim historia elucet Christum Dominum, quo doctrina religiosa ab ipso tradita perpetuo vigeret et ad totum genus humanum propagaretur, instuisse Ecclesiam ceu societatem supernaturalem, ethice necessariam, usque in finem mundi absque ulla substantiali mutatione perduraturam.

## XII.

Hæc societas divina auctoritate Christi fundata ratione formæ est externa ac formaliter visibilis, ratione relationum membrorum est inæqualis, respectuque cujusvis alterius societatis independens et perfecta.

## XIII.

« Ecclesiæ semper solemne fuit asserere ac tueri, nihil sibi sed totum civili potestati tribuendum esse circa ea, quæ finem temporalis felicitatis unice respiciunt; atque adeo respectu hujus finis potestatis civilis plenam independentiam agnoscere et proclamare. Simul tamen hanc ipsam independentiam ac plenam libertatem sibi vindicavit in iis, quæ ad finem salutis æternæ referuntur » (1).

## XIV.

Dubitari nequit « quin Ecclesiæ conditor Jesus Christus potestatem sacram voluerit esse a civili distinctam, et ad suas utramque res agendas liberam atque expeditam; hoc tamen adjuncto, quod utrique expedit et quod interest omnium hominum, ut conjunctio inter eas et concordia intercederet, in iisque rebus quæ sint, diversa licet ratione, communis juris et judicii, alteri, cui sunt humana tradita, opportune et congruenter ab altera penderet, cui sunt cœlestia concredita. Hujusmodi autem compositione, ac fere harmonia, non solum utriusque potestatis optima ratio continetur, sed etiam opportunissimus atque efficacissimus modus juvandi humanum genus in eo, quod pertinet ad actionem vitæ et ad spem salutis sempiternæ » (2).

(1) Conc. Prov. Ultraject. a. 1865, tit. I, cap. 9.

(2) SS. D. N. Leonis XIII, Encycl. *Arcanum,* 10 Febr. 1880.

XV.

Officium, quo civilis potestas Ecclesiam tenetur protegere eique suppetias ferre, numquam contra Ecclesiam ut jus sibi proprium invocare potest.

XVI.

Insita ratio ac propria natura Ecclesiæ a divino fundatore ita est constituta, ut divina revelatio integra et incorrupta per vivens ac infallibile magisterium sub assistentia Spiritus Sancti a generatione in generationem propagaretur.

XVII.

Hoc infallibile magisterium, ex voluntate Christi in Ecclesia semper vigens ac vivens, primario versatur circa custodiendas, proponendas ac explicandas veritates quibus constat depositum fidei directum et circa arcendos errores his veritatibus directe oppositos; secundario circa ea quæ cum his veritatibus connectuntur spectantque ad depositum fidei illibate conservandum. Quapropter Ecclesia infallibilis est in aliis objectis præter formaliter revelata, atque imprimis in damnandis propositionibus cum nota inferiori *hæresi*, et in declarando orthodoxiam vel heterodoxiam alicujus textus in sensu *objectivo* auctoris.

XVIII.

Ut unitati Ecclesiæ suæ consuleret, Christus Dominus beato Petro Apostolo ante suam mortem immediate promisit (Matth. XVI, 17-19) et post suam resurrectionem (Joan. XXI, 15-17) primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam contulit, et quidem ea lege ut in Petri successoribus usque ad finem mundi integer permaneret.

## XIX.

B. Petrum Romam venisse, Romanumque episcopatum usque ad mortem tenuisse est factum solemne, cujus veritas historiæ documentis solide probatur.

## XX.

Quocirca cum B. Petrus episcopatum Romanum suscepit ut in eo perpetuos haberet successores in primatu, solus Romanus pontifex est legitimus successor Petri in primatu. « Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet » (1).

## XXI.

Cum Concilio Vaticano fide profitemur : « Romanum pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ irreformabiles esse » (2).

## XXII.

Frustra contra Romani Pontificis infallibilitatem urgent Adversarii sive Honorii epistolas ad Sergium, sive ejusdem damnationem in Concilio OEcumenico VI.

(1) Conc. Vatic. Constit. dogm. *Pastor æternus*, cap. II.
(2) Constit. dogm. *Pastor æternus*, cap. IV.

### XXIII.

Depositum fidei continetur libris sacris, qui « Spiritu Sancto inspirante Deum habent auctorem, » (1) nec non « sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt » (2).

### XXIV.

Antiqui vero Patres, quum locutionibus sive affirmantibus sive negantibus affirmant Scripturarum sufficientiam, nullo modo favent Novatoribus asserentibus Scripturam sacram ad exclusionem divinarum traditionum esse regulam fidei.

### XXV.

Ordo autem divinam traditionem inter et scripturam vigens talis est, ut traditio ad Scripturam se habeat *a) origine* sicut prius ad posterius, *b) amplitudine objecti* sicut totum ad partem, *c) cognitione* sicut principium testificans ad rem testificatam, *d) usu* sicut norma ad verbum sæpe indeterminatum et intellectu difficile.

### XXVI.

Revelatio catholica per Christum et Spiritum S. in Apostolis ita completa est, ut non solum expectanda non sit alia œconomia, sed etiam ut in præsenti œconomia depositum fidei nullo objectivo incremento sit locupletandum.

### XXVII.

Obtinet tamen genuina dogmatum evolutio ac subjectivus

(1) Conc. Vatic. Constit. dogm. *Dei Filius*, cap. II.
(2) Conc. Trid. Sess. IV.

profectus, quo revelationi implicita explicentur, ambigua definiantur, minus diserta instantiori prædicatione proponantur. Numquam autem fieri potest, quod fingit schola Guntheriana, « ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiæ sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia » (1). Ex quo tamen minime sequitur Ecclesiam obesse vero scientiarum progressui, quem e contra maximopere promovet.

XXVIII.

Licet Deum ut in se est in hac mortali vita cognoscere non possimus, quadamtenus tamen quid Deus sit cognoscimus notionibus analogicis tum affirmantibus, tum negantibus, tum iis quæ secundum eminentiam appellantur. Hæc cognitio, qua Deum concipimus multiplicibus notionibus ac pluribus designamus nominibus, imperfecta quidem est, minime vero falsa.

XXIX.

Ex 1 Cor. XIII, 8-12 docemur beatos in cœlo Deum uti in se est intuitive videre. Hæc autem visio utpote finita infinitam Dei cognoscibilitatem non exhaurit, ideoque ad Dei comprehensionem non pertingit neque pertingere potest.

XXX.

Falluntur qui dicunt Pontificem Joannem XXII negasse animas sanctas et ab omni labe puras statim post mortem beatifica Dei visione frui.

XXXI.

Essentia Dei consistit in ipso *esse;* aptissime itaque Deus

(1) Conc. Vatic. ibid. cap. IV, can. 3.

(Exod. III) τετραγράμματον illud ineffabile *Jehovah* (qui est) tamquam nomen sibi maxime proprium Moysi indicavit.

XXXII.

Argumentum quod ducitur ex analysi ideæ Dei ad demonstrandam ipsius existentiam et perfectionem infinitam invalidum censemus. Ex eo autem quod Dei essentia est ipsum esse, adeoque esse Dei est irreceptum, efficaciter probatur Deum esse simpliciter infinitum.

XXXIII.

Deus, etiam post prævisam culpam originalem, voluntate antecedente ac conditionata, seria et operosa vult omnium hominum salutem, etiam parvulorum sine baptismo ex hac vita migrantium. Hanc veritatem præ cæteris luculenter nos docet Apostolus I Tim. II, 1-6.

XXXIV.

S. Augustinus jam factus episcopus, atque adeo jam contentionem cum Pelagianis aggressus, perspicue docere perrexit suam sententiam de voluntate Dei salvifica prorsus universali. Tres autem particulares expositiones textus Paulini (I Tim. II, 4), quas progrediente controversia S. Doctor jam unice contra Pelagianos adhibuit, universalem illam ejusdem textus explicationem, antea ab ipso traditam, minime excludunt.

XXXV.

Universalem hanc voluntatatem salvificam sinceram et actuosam, pro statu quoque naturæ lapsæ, manifeste etiam docet ac pluribus inculcat S. Thomas.

XXXVI.

S. Joannis Damasceni explicationem presse secutus, docet Angelicus voluntatem Dei salvificam distingui in antecedentem et consequentem, prout ea prævisionem liberorum creaturarum actuum antevertit vel subsequitur.

XXXVII.

Cum universali voluntate salvifica, prout eam nominatim explicat S. Thomas, videtur nobis non posse componi antecedens reprobatio negativa, cum absolute gratuita prædestinatione gloriæ necessario conserta.

XXXVIII.

Ad probandam prædestinationem gloriæ antecedentem præscientiam meritorum immerito adducitur doctrina S. Pauli ad Rom. IX, cum ibi Apostolus de electione ad justificationem per fidem unice loquatur.

XXXIX.

Ex doctrina, quam tradit S. Thomas tum de voluntate Dei salvifica tum de prædestinatione, concludendum esse censemus ipsum suffragari sententiæ, quæ statuit adultorum prædestinationem ad gloriam seorsim sumptam fieri post prævisa merita supernaturalia.

XL.

In 1 Ep. S. Joan. V, 7, cujus loci genuitatem in tuto collocatam ponimus, enuntiatur mysterium SS. Trinitatis, trium scilicet Personarum realiter distinctarum unitas secundum divinam essentiam.

## XLI.

Licet attributa absoluta et operationes ad extra sint absque distinctione unum commune tribus Personis divinis; nihilominus tam in Scriptura quam in aliis fidei documentis attributa quædam et quædam operationes *approprianlur* uni Personæ præ aliis. Hujus appropriationis ratio est ut, servata absolutorum communitate, manifestentur singularum Personarum proprietates.

## XLII.

Quæ dici solet circuminsessio (περιχώρησις, circumincessio) divinarum Personarum, quoad rem ipsam non est aliud quam numerica unitas naturæ in tribus Personis distinctis per relationes originis; formaliter vero circumincessio intelligitur ex hac unitate et distinctione exsurgens Personarum mutua velut commeatio seu immanentia in se invicem. Ex his principiis de circuminsessione declaratur quod tum in omnibus tum in singulis Personis sit plenitudo perfectionis etiam relativæ.

## XLIII.

Ex divina revelatione constat secundam Personam SS. Trinitatis procedere per generationem, processionem vero tertiæ Personæ esse aliam a generatione distinctam. Cujus vero discriminis ratio interna desumitur ex eo, quod sola verbi processio, quum sit per intellectum, ex formali sua ratione tendit ad perfectam assimilationem termini producti ad principium producens.

## XLIV.

Spiritum S. a Filio quoque procedere demonstratur ex manifesta doctrina ipsius Filii in Scripturis consignata apud Joan. XVI, 13-15.

## XLV.

Ex verbis Gen. I, 1 : « in principio creavit Deus cœlum et terram » docemur mundum hunc visibilem a Deo ex nihilo conditum esse.

## XLVI.

Nihil obstat in sacro textu, quominus dies, qui memorantur in cosmogonia Mosaica (Gen. I), intelligantur esse temporis periodi plus minusve productæ.

## XLVII.

Ex divina revelatione liquet bona hominibus collata dividi in *naturalia* seu naturæ secundum aliquam rationem debita, et *supernaturalia* seu naturæ etiam insonti absolute indebita. Perperam autem a Bajo regulæ instar statuitur ea dona esse naturalia, quæ originem seu nativitatem comitantur.

## XLVIII.

Divina adoptio per quam homines filii Dei nominantur et sunt, per quam proinde potestas et jus eis confertur ad hæreditatem regni cœlestis, quod in immediata visione et fruitione Dei consistit, quæque ejusdem regni assecutione in justis tandem absolvitur, est donum simpliciter supernaturale.

## XLIX.

Adam amittendo per voluntariam prævaricationem dona supernaturalia, quibus auctus fuerat a Deo non solum ut erat persona singularis, sed vel maxime ut erat totius humanæ familiæ principium et caput, non sibi tantum sed et posteris nocuit, peccatumque, quod est mors animæ ac singulis inest proprium, in omne genus humanum non imi-

tatione sed propagatione transfudit, uti constat ex Rom V, 12 sqq.

L.

Essentia peccati originalis consistit in privatione gratiæ sanctificantis, prout hæc per culpam Adami ceu capitis juridici ac moralis totius naturæ humanæ inducta est. Sola igitur Adami voluntate peccatum originale est voluntarium, ita ut in posteris sit peccatum non personæ sed naturæ; ideoque nullus comminiscendus est posterorum cum Adamo peccante sive physicus sive moralis sive interpretativus consensus.

LI.

Veritas est a Deo revelata « Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suæ conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis ab omni originalis culpæ labe præservatam immunem » (1).

LII.

Divinitas Jesu Christi, præterquam in multis aliis S. Scripturæ locis, disertissime enuntiatur Joan. I, 1-18; X, 30 et ad Rom. IX, 5.

LIII.

Veritas est revelata in Scripturis, in symbolis et constanti SS. Patrum doctrina proposita, Jesum Christum Deum hominem unam esse hypostasim seu personam in duabus naturis divina et humana inconfuse, incommutabiliter, indivise, inseparabiliter permanentibus.

(1) Pius IX : Bulla *Ineffabilis Deus*, 8 Dec. 1854.

LIV.

Sententia Guntheri, quatenus rationem formaliter constitutivam personæ reponit in actuali conscientia sui, tum fidei tum rationi repugnat; quatenus autem inde consequenter infert unitatem personæ in Christo non esse *numerico-realem*, sed *formalem* seu *copulativam*, Nestorianam hæresim quoad præcipua doctrinæ capita plane redintegrat.

LV.

Cum sola distinctione virtuali inter naturam et hypostasim divinam componi potest et debet doctrina fidei, quod 1. substantialis unio humanæ naturæ non est facta immediate cum natura divina sed cum hypostasi Verbi; quod 2. licet Incarnatio *efficienter* opus sit totius SS. Trinitatis, *terminative* tamen facta est Incarnatio unius personæ, quin inde consecuta sit Incarnatio SS. Trinitatis.

LVI.

In unione Verbi cum humana natura humanitas Christi per communicatam sibi subsistentiam Verbi intrinsece perficitur in ratione subsistentis, ideoque substantialis est ista unio. Verbum autem perficit naturam humanam non inhærendo ipsi ad modum causæ formalis sed eam simpliciter actuando in ratione subsistentis; quapropter unio hypostatica in Verbo nullam mutationem infert, sed ex parte ipsius non nisi respectum rationis importat. Porro in hoc ineffabili unionis modo agnoscendum est altissimum Incarnationis mysterium.

LVII.

Quia itaque per Incarnationem uniuntur in una hypostasi

Verbi tum divinitas, qua Verbum existit Deus, tum humanitas qua idem Verbum existit homo, idcirco hypostasis Christi reduplicative ac formaliter sumpta vere dici potest composita *compositione ex his.*

## LVIII.

Non obstat omnimoda gratuitas gratiæ, quominus effatum theologicum : *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam* explicetur de faciente quod in se est viribus naturæ, atque ita se disponente *dispositione negativa* ad gratiam.

## LIX.

Datur in præsenti providentia gratia *vere* et *pure* sufficiens, talis scilicet, quæ conferat perfectam, completam ac relativam potentiam peccata vitandi et actus bonos eliciendi, careat tamen suo effectu propter voluntatis resistentiam.

## LX.

Fide credendum est infallibilem connexionem gratiæ cum opere bono non esse ex gratia sua natura voluntatem necessitante.

## LXI.

Ex doctrina, quæ efficaciam gratiæ repetit ex entitate auxilii *physice prædeterminantis* voluntatem ad consensum, consequens nobis videtur destrui libertatem hominis et tolli gratiam vere ac pure sufficientem. Insuper opinamur hanc sententiam ægre componi cum asserta a Concilio Tridentino (1) hominis potestate dissentiendi ei gratiæ motioni cui assentitur, atque abjiciendi eam inspirationem quam libere recipit.

(1) Sess. VI, can. 4 et cap. 5.

## LXII.

Supposita efficacia virtutis quæ cuique gratiæ in actu primo ex intrinseca sua natura inest, opinamur infallibilitatem connexionis *objectivam* gratiæ efficacis repetendam esse ex futuritione conditionata consensus huic gratiæ, *cognoscitivam* ac *formalem* ex infallibili Dei præscientia de conditionato huic gratiæ consensu, *affectivam* ex decreto absoluto, quo, prælucente scientia media circa efficaciam et inefficaciam omnium gratiarum, Deus gratiam prævisam efficacem præ prævisa inefficaci conferre statuit.

## LXIII.

Tamquam fontes uberrimos gratiæ Christus in sua Ecclesia reliquit Sacramenta, quorum tria, scilicet baptismus, confirmatio et ordo, indelebilem animæ characterem imprimunt. Qui character non est mera denominatio extrinseca, nec formaliter consistit in relatione reali, sed est ontologica ac supernaturalis qualitas animam afficiens, quæ est fundamentum specialium relationum ad Christum christianumque cultum atque ideo quædam sacerdotii Christi participatio.

## LXIV.

Sermone Christi Joan. VI, 48-59 promissam esse ac præparatam institutionem Eucharistiæ, in qua Christi caro et sanguis vere, realiter èt substantialiter continetur, manducatur et bibitur, ex verbis ipsis et contextu demonstratur.

## LXV.

Ex verbis quibus Christus instituit Eucharistiæ Sacramentum Matth. XXVI, 26 sqq. (cum parallelis) demonstratur quoque modus quo præsens fit Christus in Eucharistia, per

mirabilem scilicet *transsubstantiationem* seu conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem ejus.

LXVI.

Ex ipsis institutionis Eucharistiæ verbis (Luc. XXII, 20; Matth. XXVI, 28; Marc. XIV, 24; tum Luc. XXII, 19; 1. Cor. XI, 24) pariter constat, Christum in ultima cœna corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini vere ac proprie obtulisse in sacrificium et in Ecclesia perpetuo offerendum instituisse.

LXVII.

Ex verbis Christi Joan. XX relatis (coll. Matth. XVI, XVIII) colligitur Christum Apostolis eorumque successoribus, servata hierarchica subordinatione, contulisse potestatem omnia peccata post baptismum commissa vere remittendi ac retinendi per sententiam judicialem. Proin Pœnitentia est verum sacramentum a baptismo distinctum.

LXVIII.

Porro ex indole istius potestatis, prout a Christo ibidem legitur instituta, probatur teneri fideles omnia peccata lethalia per distinctam confessionem clavium potestati subjicere.

LXIX.

« Quidam dicunt quod omnes circumstantias quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alii vero dicunt quod non sint de necessitate confitendæ nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt; et hoc probabilius est » (1).

(1) S. Thomas, in 4, dist. 16. q. 3, a. 2.

## LXX.

Non licet sequi opinionem probabilem nec probabiliorem, relicta tutiori, quoties adest obligatio absoluta alicujus determinati finis obtinendi quem in discrimen vocaret usus sententiæ probabilis vel probabilioris; obstat enim lex certa quominus probabilitas speculativa in practicam transeat.

## LXXI.

Quando vero de sola liceitate ponendi vel omittendi actionem agitur, licitum est sequi opinionem vere ac solide probabilem, relicta tutiori æque probabili vel etiam probabiliori.

## LXXII.

« Oportet quod quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi et habet rationem mali; si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni : necesse est autem quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem : unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse vel malum » (1).

(1) S. Thomas, 1, 2, q. 18, a. 9.

*Vidit S. Facultas Theologica.*

A. B. Van der Moeren, S. Fac. p. t. Decanus.

F. J. Ledoux, S. Fac. p. t. a secretis.

*Vidit Rector Universitatis.*

C. F. J. Pieraerts.